
SALVS VULNERE VIRESCIT
EX-LIBRIS
ANTONIO-BIANCHERI-CHIRURGO

TRACTATUS
PHYSICO-MEDICUS
DE AMERICANA LUE, AC OMNIUM

Tutissima curandi Methodo Mercurii Sublimati corrosivi ope,

AD EMINENTISSIMUM, AC SERENISSIMUM

F. D. EMMANUELEM
PINTO

Sacræ Domus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, Militarisque Ordinis Sancti Sepulchri Magnum Magistrum, atque Insularum Melitæ, Gaudisii Principem; necnon Regalis Dominii Tripolis Dominum

A FORTUNATO ANTONIO CREN

Philosophiæ, ac Medicinæ Doctore; necnon Classis Triremium Sacræ Religionis Hierrosolymitanæ

MEDICO ORDINARIO DICATUS.

MELITÆ ANNO DOMINI MDCCLXII.
In Palatio, & ex Typographia Celsitudinis S. S.
Apud D. Nicolaum Capacium ejus Typographum
Superiorum Facultate.

SERENISSIME PRINCEPS

MOs erat apud Græcos, Latinoſque Scriptores, ut, cùm Opus aliquod in lucem mandare cupiebant, nomen Deorum Immor-

tale in fronte affigerent, ut a Cenſoribus immune, & a malevolis defenſum redderetur; Non igitur abs re, SERENISSIME PRINCEPS, factum quiſque intelliget, ſi ſtudiorum meorum, vigiliarumque primitias ſub potentiſſimo patrocinio collocare ambiens, Nomini Tuo ſacratas velim, ut Zoilorum livorem vitare poſſent. Quis enim audebit ipſas contemnere, dum Tuo grandi Nomine, cujus eximius fulgor per Europæ, aliarumque terrarum partes eluceſcit, ſignatas, glorioſoque fretas ſidere reſpiciet? Sub tua igitur Tutela, tamquam ſub Minervæ clypeo, a calumniantium, & rodentium ictibus, fac ut conquieſcant. Suadet etiam atque etiam magnitudo beneficiorum Tuorum, quibus, tamquam vinculo aureæ catenæ, per ſeptem, & plures annos me colligaſti; atque cúm Navium olim, tum in præſentia Triremium ſaluti Medicũ præfeciſti. Nec in his tantùm benevolentiam Tuam expertus ſum, verúm etiam in omnibus negotiis, etſi immeren-

merenti, potentissimum patrocinium Tuum elargiri dignatus es; Et quidem si immensa in me Tua collata beneficia numerare vellem, & justis in cœlum extollere laudibus, & Tuam Clementiam, Prudentiam, Æquitatem, Integritatem, Dignitatem, Nobilitatem, Liberalitatem, nec dies, aut mensis, sed nec annus ipse sufficeret.

Sinas igitur, SERENISSIME PRINCEPS, pro tot & tantis insignibus virtutibus Tuis, Tibi plaudenti universæ Melitæ, privatos meos plausus addam & ipse, acclamemque Tibi quod olim bonis Principibus acclamabatur: *De annis nostris cupiamus augeri annos Tuos*. Ne igitur ingratus esse videar benefactis, quę in me ipse cognosco, patiaris, ut exile hoc munusculum, laboris mei partum, ad Aras SERENISSIMÆ MUNIFICENTIÆ TUÆ, tamquam debitum Clientelæ, & devotæ Observantiæ meæ pignus appendam. Neque id, quia in se tenue, quia leve, despecturum Te fore credo, probè gnarus, consuevisse

quoque Superos parvis Hoſtiis complacari, & non dona potiús, quàm donantium animos intueri; Me autem his muneribus, gratiis, ac beneficiis, devinctum, utí clientes Tuos ſoles, oro, obteſtorque, reſpicias, & conatus hoſce meos munificentiæ Tuæ laudibus impares, in Arte ſaluberrima ſuſceptos excelſo Tuo præſidio ut foveas, ac tuearis, enixè obſecro. Tu verò interim, Populorum tuorum, adeò inſigni virtutum cumulo ornatus, utilitati præſis, Neſtoreos vivas annos, ad Chriſtiani nominis, Sacrique Ordinis Tui propagationem, ex animo D. O. M. precatur.

Dabam Vallectæ 22. Januarii 1762.

Obſequentiſſ. Servus, Cliens,
& Subditus Antonius Cren.

CENSORUM VOTA.

IMprimi poteſt hoc Opuſculum D. Fortunati Antonii Cren Philoſophiæ, & Medicinæ Doctoris, cui titulus eſt: *Tractatus Phyſico-Medicus de Americana Lue, ac omnium tutiſſima Methodo Mercurii ſublimati Corroſivi ope &c.* ſi benè videbitur Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino, digniſſimo noſtro Epiſcopo Fr. D. Bartholomæo Rull: Etenim Auctor totus eſt in conſideratione, & deſcriptione venereæ Contagionis, & methodicæ ejus Medicinæ ope ſublimati Mercurii corroſivi: Nec leviter tangit Sancta myſteria noſtræ Catholicæ Fidei, vel bonos, Chriſtianoſque mores, ideoque eſt Opus dignum prælo.

E Conventu S. Mariæ Portus Salutis Ordinis Prædicatorum die 4. Januarii 1762.

Fr. Henricus Ercole Magiſter Ex-Provincialis Ord. Præd. Examinator Synodalis, & Librorum Cenſor.

JUſſu Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Angeli Durini Inquiſitoris Generalis, & Delegati Apoſtolici in his Inſulis, & locis adjacentibus percurri Tractatum Phyſico-Medicum de Americana Lue, ac facili Methodo curandi per Mercurium ſublimatum corroſivum, a Fortunato Cren Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctore, necnon Triremium Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ Medico Ordinario conſcriptum, & nihil in eo aut ſinceris moribus adverſum, aut ab Orthodoxa Fide devium inveni. Quapropter aptiſſimum, dignumque cenſeo, ut, ob maximam ejus utilitatem, quantocius luce fruatur, ſi ita videbitur prælaudato Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino, cui in omnibus me ſubmitto. E Collegio Soc. Jeſu die 9. Januarii 1762.

Ignatius Theuma olim Scholaſticæ, ac Moralis Theologiæ Lector, nunc Examinator Synodalis, Sanctique Officii Cōſultor, & pro eodem Librorum Cenſor.

TRactatum Phyſico-Medicum de Americana Lue, ac omniū tutiſſima curandi methodo Mercurii ſublimati corroſivi ope, a me perlectum imprimi poſſe, cenſeo, ſi videbitur Illuſtriſſimo Domino Vice-Cancellario Fr. D. Franciſco Guedes Aquilæ Bajulivo, a Sereniſſimo Principe ad hoc ſpecialiter deputato: cum

in

in eodem Tractatu nihil ſit, quod boni Regiminis Regulis, Statutis, & Privilegiis Inclyti Sacri Jeroſolymitani Ordinis adverſetur. E Conventu S. Franciſci Ordin. Minorum hac die 16. Januarii 1762.

Fr. Franciſcus Samut S. T. Magiſt.
& pro Illuſtriſſ. Dño Vice-Cancellario
Librorum Cenſor.

Imprimatur	Imprimatur	Imprimatur
F. D. Bartholomeus Epiſcopus Melitenſis.	Aug. Durini Inquiſit. Gen. & Delegat. Apoſt.	Bajul. Aquilæ Guedes Vicecancel. & Deputat

AUCTOR AD LECTOREM.

*O*Bſervata, a Juvantibus & Nocentibus deſumpta, Medicinæ primordia fuiſſe videntur, Artiſque Empiricæ fundamenta: His enim debita omnium actionum notitia, ac caſto ratiocinio junctis, melior longè Medicina Dogmatica ſurrexit, quā ideo Medici omnes amplecti gloriantur; Hanc ſanè a celeberrimis Profeſſoribus Vindobonenſibus, in curandis potiſſimùm Ægris, præcipuè Lue venerea infectis, exerceri cum laude paſſim expertus ſum, cùm apud ipſos elapſis annis degerem; Igitur cùm in Inſula noſtra ingenti ferocia turculenta Lues graſſari videatur, opere prætium exiſtimavi, ſi aliqua de efficacia Mercurii ſublimati corroſivi in his morbis deſcriberem, & maximam hujus Remedii præſtantiam demonſtrare aggrederer; quò Medicamenti hujuſce auxilio noſtri Cives, cæterique Mortales ſine magna moleſtia a fœdo morbo

immunes evaderent. Sed nescio, quo fato Medici quamplurimi ab ejus usu horreant, & nunquam ad pertinaces hujusce Luis morbos ipsum adhibeant, licèt tot tantisque experimentis a Magnis in Arte Viris peractis confirmatum habeatur; Sanè ea ferè est sors optimorum Remediorum, ut propter eorum novitatem tamquam inutilia, & prava negligantur: Quæ tamen, si experientiæ testimonio confirmentur, hecce præstantiora quibuscumque aliis consuetis auxiliis, magisque Medentium votis respondere comperiantur; unde meritò Petrus *de* Rotundis *in in Physicis, & Medicis Scientiis exercitatus, de victus ratione in Acutis scriptum reliquit:* Quædam Remedia, quorum juvandi, nocendique æqua vis manifesta est, magis magisque sunt optanda, & pessimo consilio a quibusdam rejiciuntur; Illa enim si noceant, non suapte natura nocent, sed imperitiâ administrantis, qui ut prosint, nescit efficere; *Hinc fortè non adeo incongruè Helmontius* (1) *dixerat:* Venena sæpè sunt medicamen-

(1) Oper. pag. m. 373.

camenta optima, quorum utiles, ſed reconditæ vires detegendæ, & in lucem producendæ ſunt ſtudio, laboreve. *Et ſi omnia myſterioſa aboleri debent ab uſu medico; Antimonium, Oppium, Scammonium, Colochintis, ſpiritus ſalis Nitri, aliaque plura medicamenta, quæ tamquam venena* (2) *conſiderantur, licèt maximoperè in Arte Salutari ſint neceſſaria, proſcribere foret neceſſe: Nec tituli novitas nos abſterrere debet, cùm non omnia, quæ ſæculorum aliquot numerant ſeries, veritatis ſplendore niteant, nec nova omnia falſitatis notâ ſunt inurenda; quæ jam antiqua ſunt uſu, alios habuere natales, & quod modò exurgit inventu, poſt ſæculi ſpatium fortè elegantius florebit; Cujus quidem Aſſerti veritatem quotidiana experientia demonſtrat, firmantque ſummorum in Arte Virorum auctoritas, & eorum exempla, qui non ſemel ipſa venena in uſum medicum inferre auſi ſunt. Evolviſſe ſuffecerit* Schroderũ, Quercetanum *atque alios ab erudito* Manetti *Citatos*

 (3)

(2) Chriſtianus Blaſche de Oppio pagin. 17.

(3) *ut inde colligi observata medica queãt, de quamplurium venenorum innocua usurpatione, ut Cantaridum, Euforbii, & ipsiusmet Arsenici, de quo postremo proditum est, ad tria, vel quatuor grana sumptum, & in multa aqua solutũ, Febrem Tertianam efficacissimè, atque tutissimè profligasse. Consentit ipsa ratio, quæ non aliud discrimen inter alimentum, venenumque reperiit, quã quod primum facilè, & absque ulla noxa in naturam nostram transeat; veneni autem partes tales esse videantur, quæ a vi vitæ nequaquam subigi, domarique possint. Inde veluti Corollarium indubitatę fidei eruitur:* Venena õnia respectiva esse, *planè ut modò convenienti præparatione, & debita dosi sumantur, deleteriam indolem exuant, induantque statim beneficam, & amicam corpori nostro virtutem. Intelliges inde, non esse ideo reformidandum Sublimatum nostrum, quamquã ut præscutissimum venenum vulgò infametur: quãdoquidem deposita natura*

(3) Dissertatio I. not. 3. pag. m. 4. & 5.

turâ veneni arte nostra, mirabiles effectus in corpore nostro & produxisse semper vidimus, & semper producturum spes est, utique si prudenter adhibeatur. Atque si citante Astrucio, (4) *Petrus Andreas Mattiolus non erubuerit usum præcipitati rubri, aquis stillatitiis tantùm loti internum proponere, tamquam efficacissimum ad Pestem, Quartanam contumacem, Melancolicum morbum, & alia; quid mirum si & nos potiori quàm ille jure sublimatum nostrum ita edulcoratum usui medico adscribamus, & medendæ lui venereæ adhibeamus?* Et *ideo miror, si dum Catalogos librorum, eorumque materiem in* Mangeti *Bibliothecis pervolverem, vix ullum invenerim, qui de hoc Sublimato corrosivo, ejusque viribus disertè, precisè, cumulatèque tractarit. Non me fugit, solutionem sublimati corrosivi, ad Luem veneream olim adhibitam a* Viseman (5), *& laudatam a* Tur-

(4) de morb. ven. tom. 1. lib. II. cap. 7. §. 1. p. m. 146.
(5) Astruc. tom. II. p. m. 966.

a Turner *tamē* (6) *ab Astruchio, inter pessima Agyrtarū facinora recenseri, atque adeò gravi pœna animadvertendum. Verùm tanti viri auctoritas tanti non est, ut adversus iterata centies, hac in Lue feliciter curanda, Austriæ Archiatri experimenta, & illa Illustrissimi de* Haen *observata* (7) *stare queant, quarum ego plurimarum istiusmodi Mercurii corrosivi ope, curationum, Testis oculatus fui, dum Julio-Bonæ versarer; donec in Patriam redux, Lue venerea, quos mihi Praxeos fortuna obtulit, correptos, cùm incassum per unctiones mercuriales curare tentassem, Sublimatum hocce in usum vocare cœpi. Sanctè quippe asserere possum, multis me in casibus Mercurii Sublimati utilitatem summam expertum; quin imo ubi morbus illitiones Mercuriales (quod plerumque usu venit) eluderet, Sublimatum, ad instar miraculi, ac Sacræ anchoræ virulentiam omnem abegisse, Luemque extirpasse radicitus,*

lætus

(6) ibid. pag. 1053.

(7) Ratio medendi par. 2. 3. 4.

lætus recordor. Itaque, Therrapejam hanc adversus Luem, quòd a Celeberrimis Medicis commendetur, præstantissimam semper arbitratus; nec segnem me, nec infelicem operam facturum censui, si collectis, interque se collatis, quæ in Diario meo prostant, observationibus practicis (licèt magis ex aliorum, quam meis observatis institui, nisi, ut ait Seneca, quæ ab aliis benè dicta sunt, nostra sint) *pro modulo ingenioli mei, quo possem modo illustrarem, promoverem, & in usus hominum traducerem. Hac spe igitur fretus, sequens opusculum publicę utilitati tantum dicatum volo. Quod sex continebit Capita: Quorum primum de Origine, natura, propagatione &c. Luis venereæ aget. Alterum remedia antiquorum referet. Tertium medicamenta Recentiorum exponet. Quartum Draconis venenati mirabilem usum in morbis venereis explicabit. Quintum vim enucleabit, qua in expellendo venereo viru in corpus agit, & qua cæteris præparatis Mercurialibus, imo, & ipsis usitatissimis unctionibus metallo paratis longè, multumque antecellit.*

lit. Sextum Mechanismum Mercurii ab Astrucio allatum refutabit &c. Ultimum tandem, rectam, tutissimamque adhibendi methodum exhibebit. Neque illud vitio vertendum est, aut temeritati, & pruritui obloquendi Viris, quos veneror, tribuendum, quod multoties a summorum in arte virorum sententiis, quin, & vulgari praxi discedam, id enim veritatis amore convictus, ne dicam coactus, feci; quæ ad indagandam, experiendamque egregiam hujusce remedii vim, me alioquin invitum impulit; Ita futurum spero, ut hujus inquirendæ studio flagrantes, leves hujusmdodi nostros conatus benignè accipiant, quorum judicio nostra hæc scripta facilè submittimus, candidi Lectores. Non aliam certè laborum nostrorum mercedem optamus, neque aliud antiquius nobis unquam contingere poterit, quàm si ex lucubrationibus hisce nostris aliquid in utilitatem publicam accessisse noverimus; itaque benignè tenuitati nostræ indulgeas, Benevole Lector, si tardi, ac difficilis Operis molitionem aggressi, atque in altas agendi modi Sublimati corrosivi

causas;

cauſas, velut latebras ingredi coacti, identidem aberraverimus a veritate, & cæcutientium more ceſpitaverimus aliquando. Id tantùm ambio, atque exopto, ut quale demum futurum ſit, Opuſculum benignè accipiant, & boniconſulant æqui rerum Eſtimatores. Cæterum feliciora ingenia intima quæque, & abſcondita ſcrutantia vident, ubi nos ultra progredi non liceat. Non enim, *inquit Cicero*, parum cognoſcere, ſed in parum cognito ſtultè, & diu perſeveraſſe, ſtultum eſt. *Tu interim Amice Lector, hæc habe, quæ ſi placuerint, lege, ut noſter omnis non ſit irritus labor; in quo ſi erravimus, humanum ſcias eſſe labi. Vale.*

ANTONIUS CREN

Emeritissimo Medicæ Artis Doctori S. D.

ILlud non solùm tibi significandum, sed etiam declarandum arbitror, antiquius nunquam, aut honorificentius, ne tempore quidem opportunius accidisse mihi tuis proximis litteris; quibus humaniter me hortaris, ut Opusculum de Sublimati corrosivi in re Medica utilitate, atque efficacia, in Lue præcipuè venerea, quàm ocissimè publicæ luci committerem; Tanta enim quidem est tuorum consiliorum gravitas, tantaque mandatorum tuorum præstantia, ut vitam mihi esse acerbam putarem, nisi tibi satisfacerem: Et hæc sunt in causa, quod ante tempus lucubrationes meas prælo commiserim. Quis enim credidisset unquam hocce Opusculum, atro carbone notandum, atque contemnendum fuisse, priusquam in lucem prodiret? Quis cogitasset inter Plagiarios recenseri potuisse non evulgato adhuc Opere? Inventus tamen est non nemo, quem ipse audivi in scripta mea latrantem, meque furti crimine, non tam liberè, quàm illiberaliter arguentem. Tantum Bone Deus, potest invidia! Nec mirum, cum ea iniqua sors hodie quoque impendeat præstantioribus in Arte Viris, quorum Opera summo studio, ingentique labore parta, atque numeris omnibus absoluta, lividis tamen Sciolorũ morsibus, scommatibusq. patent: Adeo quippe illos obcœcat livor, ut propriæ igno-

rantiæ atque imbecillitatis obliti, non Sapientibus modò infensos se præbent, verùm etiam se adeo de genere humano bene meritos opinantur, ut illis Rempublicam carere non posse, credant: Nesciunt loqui, nisi de se ipsis, & tunc, ut Impèritorum mos est, continuò eorum cœpta canunt, & ad sidera propria merita extollunt, unde omnia se scire arbitrantes perperam judicant, & propria auctoritate aliena damnant; Quosque apprimé depingit Demosthenes: *Ea est Calumniatoris natura in crimen vocare omnia, probare verò nihil*. Latrare, ergo desinat, atque scripta nostra lacessere, nisi vel a Tyronibus in Arte Medica irrideri velit; Si quid verò adversus nostrum Opusculum in promptu habeat, chartis consignet, ac latinè reddere illico studeat (si latinam linguam salutaverit unquam); Nos quidem ad respondendum paratos semper habebit; modò tamen sedulò caveat, si propriam aliquantùm tueri velit famam, & deridiculo omnibus non esse, ne in scribendo rudem illum stilum adhibeat, quem adhibuisse quempiam memini in quadam Dissertatione, in nostra Medica Academia olim habita; Quam quidem Dissertationem, tota, quanta est, excerptam, furatamque ex alienis manuscriptis recitare non erubuit; utque furtum absconderet, barbara, & aliena dictione, eximia viri Celeberrimi sensa mirè deturpavit. Itaque aliquem suorum laborum fructum continuò velim in lucem edat, ut miras ingenii sui dotes admirari possim, quemque ad Te summa diligentia mittere curabo, ut communibus Doctorum plausibus de isthoc Capitone tuos addere non dedigneris. Vale, & amare me perge.

E Melita dabam die 27. Februarii 1762.

HELENCUS CAPITUM.

CAPUT I.

De origine, natura, sede, propagatione luis Venereæ.

CAPUT II.

De remediis, quibus usi sunt veteres Medici ad Luem veneream curandam.

CAPUT III.

De medicamentis, quibus utuntur recentiores Medici in Aphrodisiaca *Lue curanda.*

CAPUT IV:

De efficacia Sublimati corrosivi cum Spiritu frumenti commixti in omnibus morbis venereis desperatis.

CAPUT V.,

Primarios Mercurii Sublimati effectus demonstrans, & an Mercurius hic sit nativo præstantior.

CAPUT VI.

Doctrinæ præcedentis clariorem expositionem continens, & in quo præterea Astrucii mechanismus, de Mercurii efficacia refutatur, & objectionibus ab eodem propositis adversus præparatorum Mercurialium vim respondetur.

CAPUT VII.

De recta, ac tutissima administrandi in morbis Venereis Mercurii Sublimati corrosivi internè methodo innovata.

NUllum est dubium, quin medicamenta, & medendi methodus inventa sint per observata singularia; hæc enim videntur fuisse Medicinæ primordia, dum illa, quæ in se ipsis, vel in aliis ægrotantibus viderant profuisse, suadebant iterum aliis, hac spe, ut prodessent similiter.

Libe. Ba. Gerardus VVan-swieten Comment. Aphor. ad §. 10.

DE AMERICANA LUE,

Ac omnium tutiſſima curandi Methodo; Draconis venenati ope

LIBER UNICUS.

CAPUT I.

De Origine, Natura, Sede, & Propagatione Luis Venereæ.

§. I. TEtram Luem Americanã Antiquis incognitã, circa finem decimiquinti Sæculi, ſcilicet Anno 1492. [a) ad concupiſcentiæ frænum, & flagellum; necnon ad cumulum omnium malorum, & ad generis Humani deſtructionem *Chriſtophorus Columbus* ab Inſulis Antillis nobis

[a] *Praxis Medica, ſive Commentar. in Herman. Boherave. tom.* v.

ſulis nobis Antillis transvexit; (*a*) Quæ ab Hyſpania incipiens, per Italiam primùm, dein Galliam ipſam, cæteraſque Europæ Provincias, vi contagioſa ſerpens, mortales quamplurimos occupavit.

§. II. Quænam ſit natura venerei virus, adhuc diſputatur; aliqui in tenuiſsimo fluido, ſulphureo, ſive phlogiſtico, & æthereo fermentativo principio conſiſtere credunt: (*b*) alii corroſiva natura donatum eſſe docent: (*c*) Non deſunt etiam qui vermes accuſant. (*d*) Alii verò phlogiſticum, corroſivum, & coagulans eſſe aſſerunt; (*e*) alii acidæ naturæ volunt. (*f*) Hodie verò experimentis celeberrimorum Virorum compertum eſt, virus venerei naturam nullam participationem ab acido habere, ſed e contrario magis accedere ad alkalinam; (*g*) Nam ſi ſaliva ægrotantium, qui actu ſint in uſu illitionum, cum acidis commiſcetur, efferveſcere obſervatur; Necnon *Syrupum Violatum* in viridem colorem mutari viſum eſt; Non tamen exiſtimes, virus venereum pro novo humore, ſeu liquido habendum eſſe intra corpus admiſſo, ceteris naturalibus humoribus ſuperinducto, eoſque inficiente, ut multi credere viden-

(a) *Nicolaus Monardus de Morbo ex novo Orbe allato in Collec. Luiſit. tom.* 1. [b] *Hofmann. Medic. Syſtemat. p. m.* 57. [c] *Ricardus Baulton., de Artritide, Strumis, & Lue venerea. p. m.* 57. [d] *Dedier. ſur les malad. Vener. p.* 12. [e] *Aſtruc. tomo* 1. [f] *Franciſcus de Leboe Silvius in ſua Diſſert. p. m.* 17. (g) *Doctor Carras Novel. Chimi. p. m.* 220.

videntur: (a) ſed meram eſſe vitioſam humorum naturalium qualitatem, aut *diſcraſiam*, qua degeneres a nativo ſtatu in alienam naturam abeunt.

§. III. VEnereæ Luis ſedes, ut cum *Hemanno Boerhavio* loquar, eſt in illo humore, qui naturaliter in ſanis replet eam partem, quam celluloſam Membranam vocant Recentiores: Hanc per totum corpus diffuſam obſervant Anatomici omnes; nec tantúm ſuperficiem partium occupat, verùm etiam in minutiſsimos receſſus ſe inſinuat; (b) ita ut, nec quidem minima fibrilla ſuâ veſiculâ cellulosâ deſtituta inveniatur; In hac, contagioſa propagatione per poros *epidermidis* viam ſibi facit primò virus, cùm vaſa abſorbentia maxima in parte in ipſa deſinant; ibidemque totaliter virus cum pingui humore oleoſo ſe permiſcet, calore, motu, mora aſsidua magis magiſque corpus contaminat, tyrannidemque ſuam exercet, & per totum panniculum adipoſum diſtribuitur; cùm ſingulæ partes ſiſtematis cellularis inter ſe foveant commercium; inflato enim aere, vel liquore injecto, partes etiam remotiſsimæ diſtendi obſerventur; quod etiam confirmat *Autopſia.* Tractu etiam temporis non ſolúm in membrana cellulari ſedem ſuam figit, verùm totum corpus pervadit; Nam liquor adipoſus labe coinquinatus, venis inhalantibus reſorptus, cum aliis humoribus miſcetur; & venenum, quod habet, afflat, & communicat corpori.

§. IV.

[a] *Aſtruc. de Morb. vener. tom.* 1. [b] *Praxis Medica tom.* V.

§. IV. PEr varias, ac diversas vias traducitur virus venereum; & I. a *patre affecto* nam seminales particulæ veneno imbutæ embrionem, quem lambunt, inficiunt, II. a *matre*; Hæc enim cùm nutrimentum subministret, simili labe puerum labefactat. III. Per complexum venereum communicatur contagium in viribus, mulieribus, puerisque meretricio more viventibus; Sic Anonimus in suis Commentariis refert de *Juvene* lue venerea affecto ossa depascente, & ulcera terribilia creante; cùm tamen solummodo orta fuerit ab eo, quod ille Juvenis, prout fassus est ipse, genitale membrum ad pudenda muliebria admovisset, neque tamen intromisisset ullatenùs. IV. *Propagatur virus lactatione*, ut laudatus Anonimus refert, se vidisse nutricem labe infectam, quæ lactentem ita veneno imbuerat, ut etiam ejus ossa corruperit: (*a*) lac enim inficere, exemplis manifestum habemus; & primò ex *Divino Sene*, qui sic loquitur: *Mulier, Capra, elaterium, aut cucumerem sylvestrem comedentes pueris purgatio*. Idque etiam confirmatur ab ejus Interprete, qui refert exemplum puellæ, quæ ob pharmacum a matre assumptum totaliter vehementerque purgata fuit. V. *Suctione* etiam semineũ venereum propagatur; & ideo Anonimus in suis Commentariis eodem in loco supra citato scribit de puero, qui ex parentum labe infectus erat, & nutricem, a qua lac sugebat, infecerit. Testatur etiam *Doctor Barri* (*b*) Societatis Regiæ *Londinensis* Socius, se vidisse plures affectos sola *suctione*. VI. *Contrecta-*

(a) *Tom.* v: *de Lue venerea*: [b] *Essais, & Observations de Medicine de la Societè de Edimburg tom.* v.

trectatione, & a *saliva* malum quoque disseminatur, potissimùm cùm oris faucium interiora exulcerata sint; Unde habemus in supra citatis Commentariis, quòd pulcherrimi Juvenes cum scortis consuescentes Luem veneream sola basiatione contraxerint. VII. Per *Contactũ* venereũ disseminatur virus; sic si Lue laborantis venerea calida sudans manus sanam arripiat: vel si cum infecto decumbãt ægri iisdem sub stragulis; in his enim casibus fertur, corpus insons veneno tactum fuisse, uti docuit exorta pruriens *scabies venerea*; Sic etiam interdum Obstetrices malè habet *venerea Labes*, si fortè diutiùs quàm par sit, dum parturienti auxiliantur, in corrupta vagina manus detineant; (*a*) nam tunc inhalantia vasa, ab Antiquis *Bibula* dicta, per epidermidem dispersa venenum absorbent, & liquorem adiposum coinquinant; Qualis historia a Joanne Fernelio *de Lue venerea* tradita est.

§. V. PRætendunt etiam nonnulli inter Auctores, quòd in distans contagium propagari posset; Sic narrat celeberrimus *Boerhavius* in Collegio Practico, accepisse ab amico, Venetiis omni anno sumptibus publicis turculenta Lue infectos pauperes sanari; Ibique cùm plurimi in eadem Camera decumbant, ab illius exhalatione veneni per aera dispersi, intrantes, & ibi paululùm morati inhalando tumida accipiunt labia; hinc & in curandis his morbis semper sibi cavent Medici: quod certè falsum quotidie experimur; numquam enim per medium aerem tetrum hoc malum, ex-

(a) *Kau Boeravve de insensibili Perspiratione.*

cepta ſola *ſcabie* venerea, diſſeminari docet *Vidus Vidius*.

§. VI. QUa verò via, & quomodo primò manifeſtatur venereum *Contagium*, adhuc diſceptatur inter filios *Hipocratis*; Aliqui, & præſertim ex Recentioribus, ſemper per *Gonoream* manifeſtari contendunt; quod certè erroneum eſt, ex illis, quæ diximus; Nam certis obſervationibus compertum, non omnem *Gonorream* virulentam eſſe, neque virulentam a ſemineo ſemper venereo proficiſci; quorum adeo obſervatorum Medicorum ſpecimen aliquod in præſentia adnectere viſum eſt, quo inde Aſſerti noſtri veritas evidentiùs pateat; Norunt omnes Bathavi Medici, (*a*) quòd *Cereviſia non benè cocta*, ſcilicet non ſatis fermentata, fluxum gonorroico adeò ſimilem ingenerat, ut difficillimè a venereo, & virulento diſtingui queat; cùm ſimilia ſimptomata utrobique prodeant; itaut *Batavi*, dum in gonorream incidunt, pudore coacti ſemper *Cereviſiæ* potum accuſant; quæ tamen ſolo uſu refrigerantiũ, & aliqua ſanguinis miſsione peracta, facilè ſanatur. Hoc tamen non obſtante, quamplures Medici contrariam ſententiam tenent; unde ſi quis gonorroicus eis curandus offertur, illico pro contaminato venerea Lue habere ſolent. Verùm compertum mihi eſt, non ſolùm *gonorreas* excitari abſque ullo prævio concubitu, veneriſque uſu, quod ipſum *Gonorreæ* ſimplicis genus videtur Generi Humano coævum; planè, ut *Aſtruchius* cenſuerit, apud Hebræos id mali genus invaluiſſe, quòd ſcilicet prava

victus

[a] *Guiſart ſours les maladies venerjens a l'Hay.*

victus ratione uterentur, vel verosimiliùs, quòd in salacitatem nimiam essent proclives. Verùm mirum est, & omnes hucusque in compertum habemus, quod hoc anno proximè præterito 1761. appetente Canicula, ex immoderato usu piscis *Tinni*, vel *Tunni*, qui a proxima Sicilia ad nos quotannis affertur, in multis contigisse, probavimus; vidimus namque in tribus Gonorream, seu fluxum quemdam seminis tacito lapsu ex ureteræ ostio manantis, absque ullo flogoseos signo, & sine ullo voluptatis sensu. Sed, ut erant de eorum genere, quos de cetera castissimos humanæ fragilitatis veneris furtiva illecebra monet. In aliis autem nuptis ex ejusdem piscis comestione virulentam Gonorream contigisse, adeo similem adnotavimus, ut vix ovum ovo magis simile reperire liceat; Imprimis cùm in quamplurimis eorum, qui meæ se dederant curæ, prægressus coitus cum uxore licèt honesta non leve susceptæ contagionis venereæ scrupulum injecerit. Sed & assidentia simptomata hanc, quam de Lue foveram, sententiam confirmare videbantur: etenim vix a concubitu aliquot momenta elapsa sunt, cum viri (immuni ab omni veneno femina) pudenda cuncta dolore vivido, calore, tensione urgeri inceperint; involuntaria ad hæc, & sæpissimè recurrente erectione molesta, mentula corripi; totum perineum ad ani confinia usque, ureteræ radicem tumore dolorifico, & vehementi pulsatione quati; Ipsa autem *dissuria* urens adeo sæva est, ut in *stranguriam*, nisi citò occurras desinat, metumque futuri abscessus injiciat: imò illa omnium simptomatum agmen ideo ducere videtur, quod nisi post hujusmodi ardorem urinæ, tum seminiformis materia

 pro-

profluit, tum ſanguinis mictio occurrit, eaque remittente, remittunt, adveniente, adaugentur omnia morbi effecta. Tandem ſedimentum, quod in urina talium ægrotantium ſubcruenta conſpicitur, a pure, & ſemine corrupto, idcirco alienum erat, quod pus, aut purulenta materies ſupernatare ſoleat, hæc autem materia viſcida fundum peteret matulæ. Hæc eſt ſincera *Gonorreæ* talis deſcriptio, in qua ſanè luce meridiana clariùs patet, & glandulas *couperianas*, & veſiculas ſeminales, & totius cavæ ureteræ lacunas, & veſicam urinariam, *diſtentas*, *eroſas*, *inflammatas*; cauſas totidem eſſe omnium illorum ſimptomatum, ut *Satiriaſis*, *Diſſuriæ*, *Stranguriæ*, *Effluxus ſeminis*; Cave tamen credas hocce inauditum phænomenon, & longè abditioris cauſæ, omne a Lue venerea, qua virilia occupantur fortè, deducendum eſſe. In alios ea tamen caderet ſuſpicio, quos conſtat flagitium celare de induſtria, aut in feminas, quas pudet peccatum exprimere; ſed affirmatiſsima meorum ægrorum aſſertione, quos viros eſſe probos, ingenuos, veri amantes, & veridicos novi, permotus, altè mihi ſuadeo, nullum in hac *Gonorreæ* ſpecie, licèt virulentæ, contagium incuſari poſſe, præſertim cùm feminæ ab hocce, ut creditur, impuro coitu nihil mali paſſæ fuerint; Quid ergo, an ab uſu *Tunni* ob accedentem, ut ægrotantes fatentur, nimiam liquorum ardentium potationem iſthæc genitalium noxa petenda? Et quî fit, ut non ſemper *Gonorrea tinnigulones* afficiat! Audi conjectantem, nec longè fortè a vero diſcedentem: quoniam piſcium horum infinitus grex, poſtquam ab Oceano Atlantico in *Gaudavenſia* lictora irrupit, & Orientale Mare

circui-

circuivit, eò revertitur, passerum ad instar, unde probabiliter abivit. Sed & emenso Oceani vasto itinere, non priùs nostræ Insulæ Melitæ, aut adsitæ Siciliæ appellit ora, & a Piscatoribus sumitur, quàm sub finem Junii, continuata piscatione adulto jam Julio. Quo tempore, ut legisse memini, puncturæ cujusdam insecti sub dorso incumbentis, cutemque altè fodientis, adeo obnoxius reperitur, ut statim in furorem agatur; prodiderintque Scriptores nocivam, imò & pestiferam esse comestam ejus carnem.

Quæ cùm ita sint, videtur ea esse natura *Tinni* ita rabidi redditi, ut quàm proximè *Cantaridum* indolem accedat; hæ enim si incautiùs, aut audaciùs introsumantur, imò si externa sub vesicantium forma præposterè adhibeantur, similia solent arcessere simptomata, scilicet Renum, Vesicæ, Ureteræ flogosim, inflammationem, exulcerationem; imò & accuratè *Baglivio* fœdissimas *satiriases*, mictus sanguineos, & tandem, quod ad rem nostram magis facit, flogodeum quemdam, seminis quasi effluvium, cum gravi *dissuria* stipatum. Dixi: *quasi seminis*: potest enim in violento *priapismi* impetu stimulatis ex conceptaculis suis semen effundi, sed ut plurimum, ut animadvertit *Baglivius*, (*a*) mingitur muccus ille, qui vesicam, ureteramque naturaliter oblinit, & sub specie *seminis* incautos illudit. Videtur ergo, venenum illius insecti, de quo jam actum est *Tinni*, humorum oceano communicari, & solida contaminare, & in sanorum hominum corpora ferculorum varia sub forma traduci, traditum peculiari modo urinæ latici admisceri, relictis cete-

ris

(a) *Observat.* 1. *p. m.* 475.

ris liquidis, non ſecùs ac videmus venenum *hydrophobicum* ſalivæ, venenum *varioloſum* puri puſtularum, tamquam propriis vehiculis inſidere; & profectò urinam in hac nova *Gonorreæ* ſpecie primò affici, conſtat ex eo quod mitigato naturali acri lotii per epota decocta emollientia, ſileat tantiſper morbi ferocia, & e converſo recrudeſcat diſſuria, ubi primùm exercitio, ſolatione venerea, ſalia urinæ innidulantia acuuntur, efferuntur, & fodicandis viis, per quas tranſeunt, aptiora evadunt.

Concludere itaque juvat ex ſimili analogia inter *Gonorreæ* ſpeciem, quæ a Cantaridibus infertur, & quam modò deſcripſimus, oriundam ab carne *Tinnina* in eſcam apparata; ambas ſimplices, & ſine fomite ullo, ſeu venereo ſeminio inſititio productas; neutram ſeminio ullo induci, nec ullam labem fovere, neutram virulentam, neutram per contagionem traductam cenſeri: Hinc eſt, ut quibus ad præcavendum, curandumque cauſticum Cantaridum venenum, uti vulgò conſueverunt, iiſdem quoque remediis huic *Gonorreæ* occurrit; nimirum quæ demulcerent adventitiam urinæ acrimoniam, quæ affectæ ureteræ, & emiſſariorum in eam hiantium, exulcerationes eluerent, detergerentque; demum quæ priſtinum ægris partibus tonum reſtituerent: Huic ſcopo lacticinia, lac ipſum intùs exhibitum, foriſque applicatum, multigenæ injectiones in ureteram, primùm anodinæ, lenientes, dein balſamicæ, & mundificantes, & variæ emulſiones, *perinei* embrocationes, balnea, fotus ex plantis mucillaginoſis, oleo ano dino divitibus, & cetera id genus auxilia, quæ ſanè tempore, loco, & ordine debito adminiſtrata, *Gonorreæ* iſti feliciſsimè propulſandæ,

ſandæ, reprimendæque contulere. Nec enim alia methodo adverſus *Diſſenteriam* hodie occurritur a Practicis, cujus ſanè indolem exactè refert iſte morbus, ſive mictus ardorem, ſive continuum mejendi deſiderium, ſive citam morbi reverſionem. ſive juge muccoſæ materiæ ex uretera cum urina ſtillicidium reſpicias, ſedulòque advertas.

VII. CLarè intelligere datur, quòd qua parte ſuſcipitur virus, ibi morbum creat; unde ſi virulentum myaſma in extremitatem membri virilis, ſcilicet prope *coronam*, & ſebaceas glandulas occupet, tunc ulcera in glande obſervantur; quæ etiam aliis in locis frequenter deprehendimus, ſcilicet quando inflammationes, ac tubercula a veneno formantur, quæ in apice rumpuntur; Has enim diverſi generis in genitalibus noxas ſub primum Luis ingreſſum conſpiciebant Veteres; ſi verò venenum in *preputio* ſedem ſuam fixerit, tunc *phimoſes*, vel *paraphimoſes* ſuccedunt; ſi nervoſæ papillæ glandis veneno ſint imbutæ, elevanturque, & celluloſa tenuis fabrica abſumitur tabo venereo, *tunc verrucæ*, *porri*, & excreſcentiæ carnoſæ diverſæ qualitatis generantur; ſi glandulis inguinalibus malum inſederit, bubones ſuccedunt; Denique ſi interior *ureteræ* membrana, quæ maximè donata eſt nervis, afficiatur, tunc difficultas mingendi ſequitur, quam *ſtranguriam* vocant Medici; & ſi huic materia viridis, crocea, vel fuſca jungitur, tunc *Gonorream virulentam* peſsimæ qualitatis patiuntur ægri, (*a*) licèt verò ex aliis partibus materies

(a) *des Maladies qui regnent le plus communent dans les armeès par M. Vanſvvieten p. m.* 200.

teries illa provenire poſsit, ut benè expreſsit Joannes *Aſtruchius*. Si verò virus venereum non ſolum ſit in parte, verùm etiam cum lympha, aliiſque humoribus ſit confuſum, omneſque humores coinquinaverit, ut ſæpè ſæpiùs ſuccedit in *Gonorreis* non ritè tractatis, in *Bubonibus* non ſuppuratis &c. tunc Lues confirmata erit, unde varii, ac diverſi morbi gigni obſervantur; (*a*) qui non facilè curari poſſunt, ut affectiones cutis, morbi genitalium, oris, narium, faucium, oculorum, aurium, oſsium &c.

CAPUT

(a) *Joann. Aſtruc. de Morb. vener. tom.* I.

CAPUT II.

De Remediis, quibus uſi ſunt Veteres Medici Ad Luem Venèream curandam.

VIII. IN primo morbi ingreſſu anxiè quęrebant Medici aliquod remedium ad eradicandam tetram Luem; nec enim audebãt ipſam curare, adeout pauperes hoc morbo laborãtes initio expulſos fuiſſe ab hominum commercio, (ut ex hiſtoria accurata morbi habemus) & a Medicis derelictos per campos vagantes prodiderit *Aſtruccius*; Donec *Nicolaus Leonicius*, aliique Medici tot, tantiſque miſeriis commoti, unanimi voto curationem morbi aggreſsi ſunt, & methodicam, ſeu rationalem curam conſtituerint.

IX. Poſtquam inde per plures annos hoc modo tracteverant morbum, quin ipſum radicitùs evellere poſſent, ad *Mercurium* recurſum habuerunt, cujus quidem in arte ſalutari uſus, ab univerſa Medicorum poſteriorum turba, ſcilicet *Dioſcoride*, *Plinio*, *Galeno*, aliiſque plurimis proſcriptus erat tamquam noxius, virulentus, & venenoſus, ea ratione, quòd ſcilicet illum *quarto gradu frigidum* crederent, [a] eoque caloris naturalis *deſtructivum*; ac proinde non niſi calidis medicamen-

[a] *Ricardus mead. de venenis tentamen.* 4. *num.* 2. *Joan. Baptiſta mortonus de morbo Gallico p.* 482. *Joan. Aſtrucc. de morbis Venereis tom.* 1. *p.* 340.

tis correcto utebantur, uti *Teriaca*, *Mitridatio*, aliisque plurimis Remediis hujus generis.

X. *Mercurium* ita a Chimicis dictum, sive *Argentum mobile* Aristotelis, crediderunt veteres Medici, esse aquam viscosam in visceribus terræ, substantiæ subtilis, albæ, tinctæ, calori temperatissimo unitæ: ac proinde argentum vivum *Hydrargeros* dicitur græcè a voce *idor*, quod est aqua, & *argiros*, quod est *argentum*, derivatum est, quasi *aqua argenti* diceres: Recentiores verò ipsum considerant uti substantiam metallicam, fluidam, tactu frigidam, argenteo splendore nitentem, gravem, summè volatilem sola corpora metallica [*a*] madefacientem.

XI. Primariæ, ac principales argenti vivi proprietates sex a Physicis numerantur; (*b*) Medici verò Recentiores tres ei tribuunt, scilitet *fluxilitatem*, *gravitatem*, & *summam volatilitatem*; [*c*] *Magnam fluxilitatem* oriri credunt ab ipsius sphærica figura: nam cùm nullis hæc angulis exasperetur, facillimè super alias excurrit. *Maximum pondus* oriri demonstrant ex illius partium soliditate; inter omnes enim figuras, sphæricam esse capacissimam, omnes demonstrant *Geometræ*, atque continendis pluribus materiæ partibus aptissimam. Tandem ipsius *volatilitatem* a diversis causis vocant Physici, sed illam probabiliùs mihi oriri videtur a pororum aptitudine in excipiendis ignis particulis. Habet etiam & alias *essentiales*, ut vocant, *dotes*, quas

(a) *Stephanus Geoffroy*; *mater. Medic. tom.* 1. [b] *Padre de la Torre Scienza della natura tom.* 1. (c) *Nicolaus Cirillus dis. de Argẽto vivo cãsult. tõ.* III.

quas vel ex ſua natura, vel ex varia præparatione, vel comixtione cũ liquoribus noſtrì corporis acquirit, ut diligenter, ac eruditè *Nicolaus Cirillus* expreſsit.

XII. Arabes Medici primi omnium fuerunt, qui Mercurium adhibere auſi ſunt; inter quos fuit *Joannes Damaſcenus*; & quidem externè, ad *ſcabiem herpetem*, ceteraſque cutis defœdationes curandas; necnon etiam ad *pediculos* enecandos; (tunc enim Luis contagium notum non erat) ipſum enim experiri cęperunt in hoc morbo ex analogia. Nam cùm vidiſſent veteres illi Medici unguenta Mercurialia cum optato ſucceſſu in pluribus morbis adhiberi ſine ulla noxa, ipſa præſcribere ad curandam atram Luem accincti ſunt. [a] Et primò *Joannes de Vigo*, & *Jacobus Berengerius Carpenſis* (*b*) non infelici eventu, neque mediocri lucro hujus therrapejam Mercurialem primi exercuerunt; ſed parva ſemper doſi utebantur, (adhuc enim metuebant a remedio non ſatis explorato) donec, duce experientia, pedetentim adauxere doſim. Empirici verò magnam quantitatem unguenti applicando, miſeros ægrotantes ita opprimebant, ut præ vehementia Remedii vitam cum morte permutarent; Unde tam arduum videbatur hoc curationis genus, ut perire miſeri hoc morbo complures, quám eo remedio levari mallent.

XIII. Exteriori Mercurii more quatruplici modo utebantur Patres Artis; nempe *Unguenti*, *Emplaſtri*, ſive *Cerati*, *Suffumigii*, & *Lotionis* ſpecie;

 (*a*)

(a) *Joann. Bapt. Mortonus de morbo gall. Joann. Aſtruccius tom.* 1. *p.* 340. (b) *Gabriel Falloppius cap.* 76.

(*a*) Et primò illiniebant artuum juncturas, imò aliquando totum corpus, cavendo tamen a capite, thorace, & abdomine, has enim nobiliores, ac præcipuas partes corporis appellabant; Nec ſine ratione hiſce locis parcebant; Nam Nobis pluries & pluribus Auctorum conſtitit obſervatis, lethalem ab illitione harum partium exitum eveniſſe; Sic conſentit *Nicolaus Cirillus* in ſua Aurea Diſſertatione de *Argento vivo*, hiſtoriam tradens Nobilis Juvenis, qui ob capitis unctionẽ ab incauto Empirico adhibitã acutiſsima febre, cõvulſionibus ſtipata correptus, intra triduum vitam amiſit; Igitur ſapienter monet *Fracaſtorius*, dum ad *Petrum Membum* ſcribit ſequentia:

Parce tamen capiti, & præcordia mollia vita....

Neque aliquot illitionibus Mercurialibus contenti, eas ſæpiſsimè in primis majori addita Mercurii doſi, quàm ægrotantium vires ferre poſſent, urgebant adeo, ut quamplurimi longiſsimo ptialiſmo exhauſti, tandem occumberent; qui etſi lethum effugiſſent, in tumefactiones capitis linguæ horrendas incurrebant; [quæ interdum inflammatione ita tumebat, ut dentibus confoderetur] (*b*) Graves etiam diarrheas, ac diſſenterias, vigilias, emophtiſes, epilepſias, ſive inſultus morbi caduci, exacerbationes dolorum, dentium lapſus, manducationes impeditas, ingentes catameniorum fluxus, abortus in prægnantibus, inania phantaſmata in hypocondriacis, ſimulque tetrum oris fœtorem ſibi comparabant; Item ulcera *phagedenica* profunda, ſordida,

(a) *Aloyſius Luiſone de Morb. gallic. tom.* 1.
[b] *Franciſcus Valeriole. Obſerv. Medic. pag.* 339.

da, depaſcentia, ſcorbutica; quid plura? linguæ cum gingivis, aut gingivarum cum buccis coalitionē, aliaque plurima hujus generis ſimptomata: Ingemiſcebant ſic miſeri Ægri ſuis clauſi in hypocauſtis, & nonniſi cum ſumma moleſtia eluctabantur; Unde tamquam infame, & crudele hoc medicationis genus præ oculis omnium permanſit, omneſque ab ejus uſu horrorem conceperunt.

XIV. Aliquando etiam morbus non debellabatur nec a prima, nec a ſecunda hydrargiroſi, & tunc tantùm mala a Mercurio producta ingruebant, ut nobis quotidie videre contingit; & 1. Si Hydrargirus benè purgatus non ſit, multiſque particulis *eterogeneis* ſcateat, aut ſulphureis, aut arſenicalibus; ſæpè etiam accidit, ut cinabaris nativa ratione vitriolicarum pàrtium, vel etiam fortaſſe arſenicalium, anxietates circa præcordia excitet, quod & *Geoffroy* (*a*) bis, terve obſervavit; licèt ipſa cinnabaris pluribus lotionibus purgata fuiſſet; Ex cinnabari ſi extrahitur Mercurius, periculum etiam eſt, ne ſecum delateria mineralium corpuſcula rapiat, uti plumbi ſunt: quòd namque plumbum in ſe contineat virus nervis & membranis, quas vehementer conſtringit inimicum, plura ſunt, quæ id docent. *Videmus illud manifeſtè*, inquit Fridericus Hofmannus (*b*) *ubi illi, qui mineras Saturninas tractant, urunt, fundunt, ponderant, a fumo in inteſtina deſcendente in convulſiva tormina alvi adſtrictiones pertinaciſſimas, manuum paralyſes, contracturas, aſthma ſiccum periculoſum incidere*; ſic

(a) *Materia Medica tom. p. m.* 246. (b) *tom.* VI. *Diſſert. de Medicament. ſection.* I. §. XVII.

Sic etiam Illustrissimus Austriæ toties laudatus Archiater *colicam Pictonum* frequenter se observasse asserit in illis, qui plumbo fundendo operam navant; Se vidisse, etiam narrat in suis Commentariis, integram familiam laborare hoc morbo, dum ad culinares usus adhibebatur aqua in magno receptaculo plumbeo collecta. II. *Apoplexiæ*; nam cùm globuli argenti vivi sphærica figura sint donati, maximam attractionem inter se habere debent; attractio enim corporum, ut demonstrant omnes Physici, est in ratione directa gravitatis, & cùm inter figuras (§. XI.) sphærica sit maxima, ut etiam omnes Geometræ docent, ideoque Mercuriales globuli suapte natura ponderosissimi, & rotundissimi, majorem inter se attractionem habere debent; & ideo globuli Mercurii crudi per venas inhalantes in corpora intromissi, & cum sanguine commixti in ultimis arteriolis, ubi motus humorum maximè lentus observatur, per vim attroctionis se colligant, necesse est; unde *in ventriculis cerebri*, vel in ipsius tubulis stagnantes, præ maxima eorum gravitate vasa cerebri comprimunt, & *Apoplexias* creant, teste *Joanne Jacobo VVepfero* in suis Observationibus. Adunantur etiam molleculæ mercucuriales, intra *retinæ* canales nervis adsitos non sine cœcitatis metu; illud observavit *VVoollusius* in pluribus hominibus unctionem, & salivationem mercurialem passis, nimirum anteriorem camerarū oculi multis globulis mercurii stagnantibus, & visum malè afficientibus refertam. Vidimus etiam elapsis retrò annis in nostro Nosocomio Juvenem scrophuralem *gutta serena* laborantem non alia de caussa, quàm ab usu illitionum mercurialium profecta.

Hujus-

Hujuſce noxæ ſimilē ortum ſcripſerunt *Riverius Heyſterus*. (*a*)

XV. Obſervatu etiam dignæ ſunt III. *Paralyſees*, & *Epilepſiæ*; unde celeberrimus, & non ſatis laudandus *Gerardus VVan-ſvieten* Archiater Auguſtiſſimæ Imperatricis Mariæ Thereſiæ in ſuis Commentariis ſequentia nobis reliquit: (*b*) *Poſtquam Lues venerea per inunctiones argenti vivi tentata fuit, ut ſæpè imprudenti conſilio ab Agirtis magna copia unguentorum applicabatur, obſervata docent, Epilepſias & Paralyſes frequenter contigiſſe*. Unde ii, qui effodiunt argentum vivum vix excedunt tertium annum in tali opere, & ſi ulteriùs talem artem exerceant, fiunt ſurdi, vel incidunt in malum habitum, vel in Epilepſiam, vel in vertiginem, vel in paraliſim, vel in alium ſimilem affectum frigidum, ut docuit *Vanotius*. Conſtitit etiam *argentum vivum humoribus circlantibus miram mutationem corpori inducere, ſed & frequenter elabi, et vaſis colligi, & ſtagnare, in oſſium cellulofis receſſiſius ibique pondere ſuo membranas ſenſiles præmendo, & diſtrahendo, dolores moleſtiſſimos, tota vita pertinaciter manentes producere*. Sic novi Juvenem qui ad extirpandam tetram tuem ter hydrargiroſim pleniorem habuerit, ſine ullo levamine licet cum neceſſariis cautelis, & a prudentibus Medicis curatus fuerit, & nunc continuò in medio oſsium femorum de dolore conqueritur, quin adhuc poſsit liberari, licèt varia purgantia, necnon ſulphurea medicamenta hauſerit; unde meritò Poeta canit: *Gra-*

(a) *Tom*. 1. *de Cataracta, aliique plurimi*. (b) *Comment. in Hermann. Boerhav*. §. 1075.

Graviora morbis patimur remedia,
Nec vita tanti est vivere, ut possis mori.

XVI. Hemorragias etiam IV. lethales multoties usum illitionum Mercurialium sequutas recordor; licèt in adhibendis frictionibus necessariæ observatæ fuissent cautelæ. Sic in Suburbio *Villhenæ* femina trigesimum annum suæ ætatis agens, multis ab hinc annis post periodica menstrua, *hemorrogia uterina* vexari solebat, quam Medicus ipse ordinarius tunc temporis Suburbii ejusdem non semel inviseram, licèt radicalem curationem illa renuerit; Nam dum ab hoc incommodo liberata, & sanitatì restituta videbatur, post aliquot tamen diebus laboribus domesticis nimiùm indulgens, scilicet anno 1761. die tertia mensis Februarii, recursum ejusdem morbi passa est; & quia jam pridem gonorream virulentam a marito acceperat, Professores, quos advocavit, adesse ulcus uteri venereum existimarunt; qua de re ei præscriptus fuit *illitionum Mercurialium usus*, atque adhibitis necessariis phlebotomiis, aliisque subsidiis huic methodo opportunis, postquam morbus, quo afflicta erat ægra, cessavit, ad Nosocomium Incurabilium (quò solent multi confluere) se contulit, ut de fœdo ulcere uteri argenti vivi ope liberaretur. Verùm antequam misera frictiones ex Mercurio subiret, solo halitu ita recruduit morbus, ut unà cum profluente ab utero sanguine vitam miserrimè die XIII. mensis Maji cum morte commutaverit. Videtur hinc Mercurius vi cordis impulsus, & cum aliis fluidis circulans, inque obstacula, scilicet flexiones canalium impingens, directionem sui motus a centro vasis ad canalium latera urgere; Hinc major ejus actio futura

est

est in orificiis vasorum secundi generis, & cùm hęc tanto momento resistere nequeant, a proprio axi divelluntur; unde hemorragiæ lethales frequenter succedunt, ut eruditè expresit Doctor *Josephus Demarco* in Tractatu Mechanico de *non naturalibus &c.*

XVII. Inter gravia etiam infortunia v., quæis ob Mercurium, sive crudum, sive unguenti forma illitum infirmi plerumque subjacent, non injuriâ quidem miræ convulsiones recensentur, quibus musculi caput, collum, ad anteriora flectentes, aut ad posteriora trahentes, (modò seorsim, modò simul affecti) diversa spasmorum genera sistunt. Sic Anonimus recentior (*a*) putat. Doctor etiam Cirillus, ut (§. XIV.) miras convulsiones in Nobili juvene ex hydrargirosi observavit: neque ab hujusmodi spasmo immunis evasit canis, qui ob scabiem, Mercurio unctus, paulò post attractus obiit. Rigiditatem etiam omnium musculorum, & vehementissimum tetanum passim videre est, in argenti vivi Fossoribus; ut rectè eum morbum *Paracelsus Metallicum* dixerit. [*b*] Constat ergo, & confirmari quotidiana experientiâ poterit, quàm plurimos ab illitione Mercuriali vitam amisisse; Sic vidi hoc anno, die tertia mensis Maji in Suburbio *Vilhenæ* feminam convulsam obiisse post secundam argenti vivi unctionem. Obstipos alios mansisse ab hujus unguenti applicatione, nobis etiã videre contigit anno 1759.

 Quod

(a) *Raccolta d'alcuni Opusculi sopra il moderno abbuso del Mercurio nella Medicina. In Venez.* 1753.
(b) *Haller tom.* VI. *p.* 256.

Quod quidem phenomenon, ut ordine, dilucidèque patescat, duo impræsentiarum breviter in disputationem cadere videntur. Alterum, metallum respicit sponte, & ex sua natura convulsionum ferax; imprimis sicubi, ut solent, sub unguenti forma affricetur. Alterum simpaticam illam attinet legem, qua Mercurius illitus capitis, collique præ ceteris musculos in convulsionem cieat. Et primò quidem, licèt convulsionum omne genus, magno *Hipocrate* duce, ad binas, repletionis, & inanitionis classes hodie referant multi; datur, meo videri alter *convulsionis* fons ex natura cujuscumque stimuli, seu majoris canaliculorum contractionis derivandus, quin, ut perperam credidit *Bellinus*, stimulus ille ad siccitatem reduci posse videatur. (*a*) Quot enim in tenellis hominibus accidant convulsiones ob animi patemata! Quot, & quantis non agitantur spasmis histericæ ex sola, ut loquitur *Sydenhamus*, spirituum *ataxia* productis? Quàm stupendas non patiuntur solidorum irritationes pueri, dum iisdem dentium acumina tenellas gingivas confodiunt? Est ergo de natura stimuli, vim fibrarum contractilem adaugere; si verò *repletionem* vasculorum producat, id non ratione stimuli, sed ex alia quadam proprietate producit. Eam ob rem, ex triplici capite derivandam censemus miram illam contrahendi solidas, partes proprietatẽ, quæ illitum Mercurium sequi observatur.

Primò, ex *repletione vasculorum*, quæ locum habet in primo *hydrargirosis stadio*; videlicet ubi Mer-

(a) *de morb. capit. p. m.* 345. *Boerhavv. de Epilepsia. Monsieur* Pome *p. m.* 23.

Mercurius ſanguinem ingreſſus, momento ſuæ gravitatis, & celeritatis majori, quàm par eſt, momentum ſingularum mollecularum ſanguinis ſummam rareſcentiam concitat; adeoque arteriarum tunicas pleniùs replendo, & magis dilatando calorem auget; Hinc vaſcula lateralia ab arteriis orta ab hoc majori impetu dilatantur, rubro ſanguine replentur, & manente eadem determinatione, omnes fibrillæ ſimul integrè, diuque turgebunt. Quo tempore per adauctam hinc vim cordis, inde increſcentem cerebri preſsionem, influet, plus, & diu in villos motrices, nervis patentes fluidum nerveum; proindeque binis hiſce de cauſis fiet invita, & violenta contractio muſculorum, cum attracta ſimul parte muſculis appenſa.

Sed & Secundò: in altero *hydrargiroſeos* tempore, quo aucta humorum fluxilitate, citatiore, & frequentiore ſanguinis appulſu, validiore momento, quo ſanguis ad exteriora appellit, ſecretiones largiores fiunt, ſuccedit *ſalivatio*, *diarrea*, *tranſpiratio adaucta*, & in ſexu amabili, ut ſæpiſsimè vidi, *uteri hemorragia*; In hoc, inquam, ſtadio nullum dubium eſt, quin *convulſio*, & ſpaſmorum diverſa genera Mercurio delibutos invadere poſſint; Hæc enim omnia ſiccitatem liquidorum, tubulorum *inanitionem* nullo negotio inducunt; & quod inde ſequitur, muſculorum villi exareſcentes ſecum ducent, renitente voluntate artus; unde rigiditas, & immobilitas.

Si remota omni ſalivatione, dum ſolitis ex artis legibus, Mercurius ſanguini interſperſus non morboſam humorum rareſcentiam, ſed æquabilem, facilem, & ſanum quaſi motum ciet, *hydrargiroſis* ter-

tertium ſtadium inſpiciamus; habebimus, & aliud non leve convulſionis argumentum a ſolo ſtimulo petitum: Cùm enim ceteris paribus, ex iterato guttularum Mercurialium incurſu globuli ſanguinis disjecti, attriti, comminuti i in olea, & ſalia acria mutata ſphæricâ figura ſolvantur, & in tenuiſsimos tubulos irrepant, fit, ut ſua rigiditate ſtimulo vellicent ſenſibiliſsima nervea filamentorum involucra, unde miræ ſpaſmodicæ contractiones muſculorum.

Jam reſtat, [quod erat alterum in quæſtione propoſitum] ut rationem reddamus convulſionis topicæ, ſeu ſolorum muſculorum capiti, cervicique proſpicientium ſpaſmodicæ contractionis. Hanc omnem Mercurialem unctionem in paſsis a tumore ciſtico ventri alterutrius muſculi *ſterno maſtoidei innato*, repetere cum *Hallero* vetat & generalis convulſionum *pathologia*, & numeroſiſsimæ convulſionibus peremptorum obſervationes a *Boneto* (a) relatæ, & non aliud pro ea cauſa ſpaſmorum teſtantes, præter cervicis læſionem, aut nervorum ſiccitatem &c. Vetat tandem therrapeja horum ſpaſmorum, quam balneis, fomentis, demulcentibus, anodinis, lenientibus, felici uſque ſucceſſu omnes hucuſque Medici aggreſsi ſunt; cúm tamen, juxta *Hallerum*, Chirurgica in tali morbo operatio inſtitui debuiſſet. Neque verum eſt, cerebrum in omnibus Mercurio unctis, in ſuis integumentis, cortice, & medulla lædi, ut convulſionem talem in muſculis illis pariat. Verùm ſi conſideretur, tam in primo, quàm in altero hydrargiroſeos *ſtadio* febrem advenire,

caput

(a) *Confer Anatom. pract. lib.* I. *ſection.* XIII. *Obſerv.* XIII. XVII. XVIII. *&* XXXII.

caput intumeſcere, os ulceribus infeſtari, hemorragiam ulceroſis vaſculis accedere, [ut §. XVI. dictum eſt] ſi attendatur ad ſalivationem, excretionem nempe illico Mercurio ubique ferè ſuccedentem; ſi demum ad oris *capiſtrationem* advertas, malum profectò *inſuperabile* ab *Aſtruccio* vocatum: minimè tibi mirum videbitur, ſi actio, Mercurii analogia quadam, & inexplicato hactenus ab ulla hypotheſi conſenſu ſæpè circa caput, aſsidentiaque loca muſculoſa exeratur, & vel repletione, vel inanitione, vel demum ſtimulo, vel combinato cauſarum concurſu muſculi omnes, qui & oſsibus totius capitis adſtant, colliquе vertebras variè movent, retrahantur, criſpenturque; itaut violente, invito etiam homini capitis molem ad ſternum deprimant modò, retineantque diù, modò muſculos cervicales immani concitato ſpaſmo ad poſteriora extendant, modò ad latera, ut in *obſtipis* ducant.

XVIII. Inter infortunia etiam, quæ tertium hydrargiroſeos ſtadium infeſtum habere ſolent, meritò recenſetur *oris capiſtratio*, quæ quidem ita ab *Aſtruccio* deſcribitur [§. XVII.], ut inemendabile malum habeatur. At ſubit mihi in animum recordatio talis mali in Juvene, quod raræ praxeos fortuna obtulit; quod rariori longè felicitate curatum fuiſſe, lætus recordor.

Similem obſervationem mihi narravit Doctor Joſephus Demarco; Erat enim iſte Juvenis temperamenti melancolici; qui gravi Lue venerea correptus, in Xenodochio Melitenſi Mercuriali unguento inunctus, & apertam, & diuturnā ſalivationē moleſtè tulit. Qua factum eſt, ut ulcera numeroſa, profunda depaſcentia oris interiora peſsimè haberet, in

pri-

primis in gena læva, ubi internè erosus, qua latè patet *musculus buccinator* cum superioribus maxillæ superioris alveolis, unde passim exoritur, tum cum inferioris maxillæ gingivis, unde gradario suarum fibrarum ductu ascendit, terminaturque ad angulum oris coaluerat. (*a*) Tota, inquam, illius genæ cavea exesa, & profundè exulcerata, cum in intimo etiam ligamento intermaxillari ita firmiter recreverat, comprimebatque adeo inter se maxillas, ut neque vocis sonum ritè exprimere, neque os diducere posset, nisi quàm satis esset ad sorbenda tenuiora juscula, quæ ille sibi summo labore in os indebat. Ita ergo affectus Æger, & pro desperato a Medicis derelictus, Monspelium ivit opem implorans: ipse autem charitate motus, & morbi novitate perculsus famigeratissimus *Petrus Fournier*, viso ægrotante, & vocatis in consilium omnibus, quotquot in Civitate Chirurgiam exercerent, præstantissimis Viris *Brocanò*, & *Serrè*, coram sensit; oris hanc noxam, ut infrequentem, ita difficulter curabilem fore; latum illud ligamentum, quod impossibilem maxillarum diductionem intulerat, a præternaturali ulcerum cicatrice exortum, nisi periculosa operatione extirpari non posse; vereri se, ne in operatione *mansoriorum* tendines jam nimis retracti scalpello læderentur. Imprimis ligamentum maxillas interjectum, cui *buccinatoris* portio adhærere solet, aliquo modo lacessitum funestam convulsionem indueret: Itaque præstabilius sibi videri, ægrum suæ sorti committere, quàm vana spe frustra lactare; sperare autem fore ut continuato la-

ctis

(a) *VVinslov tom.* v. *p. m.* 558.

ctis usu, quem e vestigio præscripsit, & gargarismatum emollientium, tum salsior humorum crasis in ægrotante corrigeretur; sic fatum decernentemque *Fournerium* sequuti sunt acciti Chirurgi illi, neque aliud agendum rati, ægrum dimiserunt. Paruit ille mandatis, & per mensem lacte usus, semel atque iterum venâ incisa, nihil commodi inde retulit, quàm levissimam quamdã partiũ contractarum mollitiem. Idemtidem enim aliquod quasi discerpi, divellique in parte ægra sentiebat. Hinc curæ pertæsus, & quæcumque ferre paratus, operationem chirurgicam sibi fieri instat. Condicto Ægro die, summo mane in ægrotantis cubiculum convenere omnes, quotquot sive noxæ raritas, sive operationis, ut videbatur, audacia curiosos Chirurgos advocaverat. Itaque posito in sedili ægtotante, capite reclinato, quoniam musculorum maxillæ sursum attollendæ inservientium, spasmodica velut contractio non permittebat diduci a se invicem dentes, osque satis aperiri ad immittendum specillum; eam ob rem accincto ad operationem Chirurgo *Serrè*, non priùs illã aggredi visus est, quàm evulsis binis dentibus utrinque incisoriis, & uno dente molari, commodiùs oris interiora perlustrare posset. Et profectò ore inde amplo hiatu patente, & directim ad candelæ lumen opposito, apparuit quoddam ligamentum latera *buccæ dexteræ* interna obvestiens, callosum crassum, prorsus singularis naturæ; nempe in hoc loco mediam genam investiens, quod inde in ligamentum maxillas naturaliter committens terminabatur, quocum intersectis tendineis funiculis adeo coaluerat, ut dubitare quis posset, utrum ligamentum *illud laterale*,

aut

aut tendines musculorum *masseteris*, & *crotafitæ* ulceribus depasti, & malè firmati; adeo extensi, productique essent, ut oris illam caveam alba, crustacea, callosaque materie obducerent. Sed ad rem itaque collocato ægro, & ore quoad fieri posset aperto, scalpellum cautè, & suspensa manu adegit Chirurgus inter teniam illam crassam, & callosam, & reliquam genæ partem, sensimque dissecuit, simulque firmiorem hujusce *funiculi morbosi* cum ligamento *intermaxillari* adhæsionem eodem instrumento delicatè, placidèque dissolvit; cavens, ne illud, & si quæ in vicinia essent tendinea vincula, lacessita, scalpelli cuspide læderentur. Tandem extrema capistri supernis infernisque maxillarium gingivis conglutinata gemina forficum incisione feliciter abstulit, integrumque morbosum corpus illud eduxit, & illico videndum exhibuit adstantibus. Vix autem se liberum ab illa capistratione sensit homo, cum effusa lætitia gestiens, os multifariè diducere, maxillas movere ludibundus coram cœpit. Sed gravius hoc, quo minùs prævisum infortunium devorandum ipsi manebat. Etenim inter musculum *buccinatorem*, & *masseterem* utrimque non mediocre cavum insculptum est adipe repletum; (*a*) qui post operationem, ex aperto sinu, & *buccinatoris* carne maximam partem ablata nequaquam coercitus ex una, & ex altera parte, jugi inspirati aeris frigidi allapsu compressus, coarctatusque quotidie sub forma appendicis, aut fimbriæ pinguedinosæ in oris caveam propendebat, quem adeo sedulò in singulis accessionibus Chirurgus ab-

scinde-

(a) *VVinslov. ibid.* 558.

ſcindebat; accidit verò, ut una die altiùs excavata parte, denudata arteria maxillaris pulſu, media in genæ parte conſpicua a Chirurgo ſcalpello tacta vulneraretur, ſanguiſque adeo ubertim, & cum impetu exiliens, cubiculi, licèt altum ſatis, lacunar coccineo colore momento perfunderet. Cui malo occurſum illicò eſt non medicamentis ullis adſtringentibus, non cauteriis, ſed datis ſuper hemorragiæ locum multis ſpleniolis ad exinaniendum non modò ſanguinem, verùm etiam ad vas ſaucium comprimendum; Cujus rei cura binis miniſtris ſibi mutuò ſuccedentibus, & diu noctuque digitos vulneri apprimentibus, tota comiſſa eſt planè turatio, ut bidui ſpatio arteriâ cicatrice paulatim obducta, atque adeo tuto contracta, omnis hemorragiæ metus abactus eſt; Quò autem relicta illa fovea carne impleretur, neque partes malè coalitæ, ob recentem cicatricem, denuò in brevius ſpatium ſeſe contraherent, & ori ſtricturam poſtliminio revocarent, proviſum eſt cuneolis ligneis inter ſcrupeas dentium molarium ſuperficies adactis, quo tempore emollienti gargariſmate partium flexibilitas promovebatur: ita enim gradatim diducebatur maxilla, ad motum diſponebatur, & tendines muſculorum oris lentè, & abſque ulla moleſtia ad nativam extenſionem reducebantur. Idipſum felix Chirurgi auſus eſt, & multò felicior curationis exitus abundè comprobavit, cúm ſanus hodie in noſtra Patria vivat, & cibis ſolidioribus mordendis, mandendis, inque ore volutandis optimè ſufficiat. Nuper etiam in *Civitate Conſpicua* ſimilem morbum ab uſu mercurialium illitionum producto curatum vidimus ſolo emollientium, ac diluentiũ uſu per multũ tempus continuatũ.

 COROL-

COROLLARIA.

EX quibus colligere datur I. malè judicasse *Joannem Astruccium*, dum oris capistrationem ab hydrargirosi excitatam immedicabile infortunium censuit, *quod potiùs ægri*, inquit, *forti animo ferant*, *quam sibi operationem fieri sinant*, *& novis miseriis miserias cumulent*.

II. Frustraneam, imò periculosam ullam medicinam fore; in primis Chirurgicam, si ultrò secandi essent naturales tendines, quos tangere piaculum est; sed in nostro casu media *buccinatoris* caro exesa, & cicatrice dura obducta auferri & potuit, & debuit, absque ullo periculo modò, periti Artificis manus accederet.

III. Læsum fuisse musculum buccinatorem illius genæ, exinde constare, quod musculi carneum principium, progressus, & finis in albam, & duram, coccineamque substantiam degenerassent; quod ablata majori hujusce musculi portione, & imminuta adeo resistentiâ, facies media *paralytica* evaserit, saccumque efformaverit, in quem compellitur, quidquid ore assumitur.

IV. Potuisse adhiberi Sublimatum præ cultro: nam sublimatus Mercurius collirii sub forma admotus oris ulceribus multis nominibus scapello præfertur; sive quia frequentiori, & moderato affrictu penicilli humidi collirio imbuti, ulcera per strata deradantur, cum Chirurgi manu tota, qua latè patet, massa decidat; sive quia nullum discrimen adest, ne canalis arteriosus, siquis illàc pertranseat, vulneretur hujusmodi institutâ therrapejâ; sive quia paulatim denudata parte, supposita vascula graduariam extensionem, & undique æqualem, mollian-

liantur, & futuræ cicatricis primordia contexant; licèt ergo tarda sit hæc medicina, quæ ope Sublimati paratur, at certè experientia compertum est, & magnam, & efficacem esse, nedum longè tutiorem, & minùs crudelem, quàm quæ a Chirurgia desumitur.

XIX. *Aneurismata* etiam aliquando ex hydrargirosi oriri posse, Medici omnes consentiunt, (*a*) quotiescumque scilicet sanguis, & lymphæ partes tanta vi ad latera canalium arteriosorum urgentur, & in majorem molem dilatantur, ut canaliculorum diametri, & cavitates naturalem magnitudinem excedant; Id ipsum *Pareus Ballonius*, aliique appositis exemplis confirmarunt.

XX. *Febres* etiam, *Inflammationes*, *Frenitides* ab hydrargirosi oriri, quotidie testari possumus in Nosocomiis; Nec mirum, cùm hacce methodo liquidissima dissipentur: difflantur scilicet tenuissimæ, & mobilissimæ sanguinis partes: hinc residuus sanguis magna parte diluentis vehiculi orbatus, densior redditur; Unde in morbosam concretionem facillimè transit; Tum etiam quia humores nostri corporis maximè in compactionem sunt proni, ut videre est in sanguine a vena hominis sani emisso. Accedit etiam motus nimius; a quo caloris augmentum; unde sanguis sic inspissatur, (*b*) ut per minimas arteriarum angustias ampliùs transire nequeat. Constitit porrò ex numerosissimis observatis celeberrimorum Virorum, frequenter etiam febres

 hecti-

(a) *Hosterdik de Schacht. Institutiones Medicinæ practicæ lib.* VI. *cap.* X. *p.* 178. *Lancisius de mot. cord. p. m.* 130. (b) *Hermann. Boerhav.* §. 377.

hecticas accidere ab usu illitionum mercurialium, licèt ab *Astruccio* inter infortunia non recenseantur; Particulæ enim argenti vivi sanguinem ingressæ vim naturali multò majorem exerceant, sanguinem rarefaciant, vasorum parietes summopere extendant, oportet, dictante ipso *Astruccio*; Hinc labescentibus in dies vasorum contractionibus, sanguini per ea currenti debiliùs resistunt, ipsius momento cedunt, & mirè dilatantur; hinc minima vascula nutritioni præfecta continuò comprimi, atque particulas nutrititias excludere necessum est; & quamvis meatuum ampliatio, ac robur vasorum cutaneorum imparia sint hecticæ promovendæ; id tamen efficiunt, ut per salivales ductus fiat uberior liquidi excretio, quæ, data sanguinis velocitate, est in ratione orificii; & ideo cùm robur sit in triplicata copia sanguinis, patet, vim corporis amitti, & ad tabescentiam viam sterni.

Tandem Scribentis memoriæ modò succurrit observatio a *Boneto* relata, (*a*) qua renes indurati, & viscida materia referti, post adhibitam hydrargirosim feruntur. Videtur namque, argenti vivi ope humores in eo Infirmo adeo degenerasse, & tantam malignitatem acquisivisse, ut iis partibus, in quas a natura detruduntur, *Necrosim* inducerent; Eam ob rem liquet salivationem ob hydrargirosim excitatam cum venenorum effectibus conferri aliquo modo posse; quandoquidem hydropici modicum mingendo vivant, cùm e contra, accedente mercuriali salivatione, in nostro casu, suborta urinæ suppresio

(a) *Anatom. Pract. lib.* III. *sect.* XXIV. *Observ.* X. *tom.* II. *p. m.* 614.

preſsio mortem acceleraverit. Chirurgi verò etiam in curanda lue imprudenter ſeſe gerunt, infortuniis iſtis aut vix attendentes, aut ea negligentes, dum unctiones turpis lucri cauſa cuicumque alteri, licèt tutiſsima omnium methodo, anteponunt.

XXI. *A Veteribus* Medicis *Emplaſtra*, ac *Cerata* ex Mercurio confecta uſurpabantur, præſcribunturque hodie aliquando a Recentioribus iiſdem in caſibus, quibus noſtra ætate *illitus Meruriales* adminiſtrari ſolent. Quorum Emplaſtorum formulæ in officinis adhuc proſtant, ut illud ſub nomine Emplaſtri *Vigonis cum Mercurio* evulgatum, ſcilicet quia *Joanni de Vigo* maximè in uſu erat, eoque nobiliſsimæ operationis habebatur remedium, quod millies ſe expertum eſſe cum ægrorum ſumma utilitate ſcribit. In *Bubonibus*, ac *Tophis* venereis (*a*) commendabant hæc topica priſci Scriptores, & modò idem laudant recentiores Medici; aliqui tandem ad ulcera rebellia, ſcabiem, phtiriaſim cuti nudæ circa hypocondria panno laneo exceptum Mercurium vivum, & cum ſuilla pinguedine ſubactum (*b*) applicabant, (*quem cingulum patientiæ Rulandus appellat*) quorum tamen emplaſtorum omnium non inutilem modo in morbis venereis confirmatis admotionem, ſed etiam noxiam quotidie experimur: quod multis etiam rationibus demonſtrarunt Auctores.

XXII. *Suffumigia* ex Mercurio vivo in uſum practicum advocabant Veteres ad morbos venereos profligandos; & primò *Angelus Bononienſis* qui ipſa para-

(a) *Prax. Medic. ſive Comment. in Hermau. Boerhav.* §. 1479. (b) *Mich. Ang. Etmull. tom.* 1. *p.* 736

parabat ex argento vivo salivâ, vel terebinthinâ (*a*) extincto; vel tandem cinabari, quo inde materia alendo igni apta reddebatur; Alii cinabari artificiali, vel potiùs *ethiope minerali*, vel ex una libra hydrargiri cum floris sulphuris mixta, unciis quatuor suffumigia conficiebant; Ex his verò non leve damnum sentiebant ægri, unde meliùs quám Recentiores ipsi, non super prunas, sed potiùs supra ferrum candens talia ingredientia injiciēda esse, *Joannes Chevalier* autumat, & hacce methodo affirmat, supra ducētos utriusq. sexus pueros, Juvenes, Senes, Mulieres utero gerentes se curasse ab hoc morbo. A Recentioribus etiam Medicis Chirurgis Parisiensibus quamplurimis summoperè illa commendata videmus, præsertim in carie ossium nasalium; (*b*) Verùm quidem est, aliquando salutariaconperta esse suffumigia; licèt multoties diversa infortunia ab eorum usu succedere observentur; unde cum magna cautela, & prudenter, & a prudenti Medico administrari debent; aliter alvi solutio, erosio palati, casus omnium dentium, aliaque prava simptomata jure timenda veniunt.

XXIII. Huc pertinent partium corporis ablutiones ex siccantibus, rarefacientibus, discutientibus paratæ, simulque ex Mercurio sublimato corrosivo confectæ, quæ apud antiquos Medicos in usu erant; quæ sic parabantur: Unciæ duæ Subli-

mati

(a) *Essais, & Observations de la Societè de Edimbourg. tom.* IV. *p.* 45. *Joann. Astrucc. tom.* I. *lib.* II. *cap.* VIII. (b) *Ludovic. Marteaù dissert. an in curanda Lue vener. suffumigia ritè adhibita remedium optimum! Chevalier quæst.* I. *p.* 5.

mati hujus in libris quinque, vel ſex aquæ ſtillatitiæ diluebantur, & cunctas corporis partes, excepto capite, pectore, & abdomine, irrigabant; inde poſt ablutionem ægrotos in lecto reponebant, ut ſudarent; eòque unà cum ſudore materiam morbificam tetri veneni ejicerent e corpore. In *Licchenibus* quoque gallicis loturas iſtiuſmodi practicabant veteres Medici; unde *Aloyſius Laboreè* [a] de his agens hæc habet: *Prodeſt Licchenes perfundere aqua Sublimati &c*; quibus etiam in ulcerum curatione *Medici* quamplurimi *Germani* ahduc utuntur. (*b*) Apud alios in uſu fuiſſe videntur, tamquam remedium potentiſsimum diſſolvens in *Anginis*. In extirpandis etiam *glandulis* ſchirroſis idipſum proficuum topicum experiuntur Recentiores; [*c*] Quod jam olim noverat magnus Chirurgus *Joannes de Vigo* in componendis ſuis trochiſcis de *Minio*. Ulceribus tandem rebellibus curandis Mercurium ſublimatum corroſivum ſub forma unguenti a priſcis Medicinæ Cultoribus accommodatum legimus. Celeberrimus *Zappata*, dum apud Hiſpanos Artem ſalutarem exercebat, cum magna laude, ac ægrorum levamine ſe curaſſe aſſerit varia ulcera ſordida phagedenica linimenti hujus ope, quod unguentum *Æſculapii* appellabat.

XXIV. Paulò tardiùs cœpta eſt Mercurii interna adminiſtratio. Cui obſtabat verò veterum Medicorum auctoritas, qui hydrargirum epotum vim maxi-

[a] *Collection. Luiſin. tom.* 1. (b) *Praxis Medica, ſive Comment. in Hermann. Boerhav. tom.* v. [c] *Hermann. Boerhav. de Lue Aphrodiſiaca p.* 5. *Doctor Malovin Chimi. Medic. tom.* II.

maximam enecandi habere arbitrabantur. [a] *Joannes* verò *de Vigo* his præjudiciis exutus, vel ut alii censent, *Andreas Mattiolus*, Præcipitatum rubrum internè præscribere ausus est. Inde *Barbarossa* (b) suas internè adhibendas pillulas ex Mercurio crudo excogitavit. Tandem ut dirum Celticę luis seminium extirparent radicitùs, varia, ac diversa præparata Chimica omnis ævi præscripsere Patres Artis, uti *Mercurium*, *Præcipitatum flavum*, *Album*, *Rubrum*, *Viridem*, *Metallorum Crystalli*, *Vitriolum Lunæ*, *Vitriolum Veneris*, *Scobem Veneris*, *Vitriolum commune &c.* Aliæ etiam innumeræ Mercurii præparationes evulgabant in dies Chimici, scilicet quæ illius destillatione perficiuntur, inter quos primum locum occupant *Bezoartica* dicta medicamenta, quæ vi lexipharmaca pollere creduntur.

XXV. Quæsiverunt inde ex America auxilium tetri hujus morbi, planè ut noviter inventi remedii, scilicet Mercurii, fama, atque nobilitas quotidie obsolesceret, & obscuraretur; unde circa annum 1517., ut refert *Antonius Gallus* Medicus Parisinus, omnes Cultores Artis usum ligni guajaci amplexi sunt, scilicet quando Consalvus ab Insulis *Antillis* redux, ubi à contracta lue curatus videbatur, in patriam transvexit secum hanc methodum; adeout ea lignorum therrapeja luem omnem eradicari posse omnino crediderint; unde factum est, ut magno cum applausu decocta illa in usum medicum traducerentur, tamquam omnium anti-

vene-

(a) *Dioscorides lib.* v. *cap.* 70. [b] *Tret. des Mercur. par. monsie Bellost. p.* 15.

venereorum ſacra Anchora. Hæc itaque ligna a Medicis utplurimum ſpecie decocti in aqua propinabantur, licét aliqui in locum aquæ vinum ſufficerent, [*a*] quòd hoc fortè utilius reputarent.

XXVI. Alia etiam innumera, ac diverſa remedia a priſcis Scriptoribus laudata fuerunt, velut ſpecifica adverſus luem veneream, uti *radix chinę*, *ſarſæ Parillæ*, *lignum Saſſafras*, *Oxicedrus*, *Karou*, aliaque ſimilia. Non defuerunt etiam, qui temporibus poſterioribus ſolo balneorum aquæ dulcis uſu virus e corpore eliminare ſe poſſe, exiſtimarent; Alii per venæ ſectiones repetitas; alii per pharmaca, alii per Syrupos, alii per lotiones, & id generis plura auxilia venereæ Luis curationem aggredientes. [*b*] Tandem ſæculo tranſacto plerique Medicorum Anglicorum, ut Doctor *Uren*, *Clar*, *Major*, aliique rem omnem Chirurgiæ *Infuſoriæ* commiſerunt, [*c*] infundendo ſcilicet, beneficio inſtrumenti appropriati, medicamenta varii generis, ut eſſentias *Saſſafras*, *Guajaci*, cum ſpiritu *Fumariæ*, *Sinapi*, vel *Cedri* paratas; Aſt meliora verò prædictis decocta viperarum, ac ſerpentium reputabantur a *Michaele Hetmulero*, quæ etiam maximi uſus apud veteres Medicinæ Cultores, magnæque exiſtimationis fuiſſe comperio; unde in morbis venereis deſperatis tamquam ſacrum aſylum habebantur.

(a) *Collec. Luiſin. tom.* 1. [b] *Joannes Aſtruc. tom.* 1. *de morb. vener.* (c) *Mich. Angelus Hetmulerus tom.* 1.

CAPUT III.

De Medicamentis, quibus utuntur Recentiores Medici in Aphrodisiaca Lue curanda:

XXVII. NON una quidem apud Recentiores pertractandæ Luis hujus viget methodus: Quidam enim decoctum ligni *Guajaci* deprædicant; Alii *Mercurium crudum* internè sumptum eligunt; Alii tandem pro *Illitione Mercuriali* stant. Medici omnes Hetrusci pro *Decoctis* lignorum dimicant: unde illa tantùm Decocta Ægris hoc modo infectis præscribunt. Ejusdem sententiæ fautor nostro hoc sæculo inter *Batavos* fuit celeberrimus *Hermannus Boerhave*, Vir de re Medica optimè meritus, & numquam satis lugendus; quin & experimentis hanc therrapejam mirè illustravit. Refert enim laudatus Auctor historiam Juvenis lue venerea ita inquinati, ut ossa crurum cariosa evaserint, & unus articulus digiti manus exciderit; qui incassum adhibitis vehementissimis salivationibus mercurialibus, tandem usu longo, & efficaci ligni *Guajaci* sanitatem amissam recuperasse fertur; sed hoc non frequenter observamus: Experientia enim in dies præ oculis nobis exhibet incommoda, & pericula hujus Decocti, nam qui tenues, macilenti, & exucci sunt, qui temperamentum acre, biliosum, ac fervidum, qui pulmones, hepar, renes, ventriculum malè affectum habent, ii sudore, quem Decocta cient, immodico extenuati,

nuati,

nuati, facillimè in *marcorem*, *marasmum*, *febrim hecticam*, *tabem*, *phtisim* immedicabilem incidunt; Nam fervorem sanguinis, ejusque siccitatem ab ejus usu causari multa observata docent. Sic *Bertinus*, *Pasqualius*, aliique plurimi idem testantur; Febres ardentes exinde non semel exurgunt; demùm solida crispando, & coarctando, *Apoplexias* inducere docet *Astruccius*.

XXVIII. Nostro etiam sæculo *Bellostius* Pater, ac filius *Mercurium* crudum saliva extinctum sub forma pillularum præscribendo, multas divitias exinde comparaverunt. Multi etiam Parisienses Medici, uti modò Doctor *Chyene*, eamdem methodum acerrimè defendunt, licèt eorum votis parùm arrideat. Inter *Scotos* etiam Doctor *Dovar* Medicus non mediocris famæ, laude insignis, in Præceptis suis practicis, argentum vivum interné sumi inculcat, tamquam maximum in hac lue remedium. Inter *Britannos*, ac *Irlandos* Chimicos sunt, quibus eadem methodus cordi est; unde Ægris labe hac contaminatis *hydrargirum* ingerunt magna dosi, usquedum ad uncias duas cum dimidia utplurimum ascendant, eaque ratione, [a] nulla salivatione curationem hanc absolvi putant; quod tamen falsum repererunt multi, ut testatur *Joannes Astruccius*, de Morbis venereis.

XXIX. *Borussi verò*, ac *Saxones* Medici præ aliis remediis antivenereis *Mercurium dulcem* habent, incipiendo a granis tribus ad grana octo, usquequò manifesta indicia salivationis imminere so-

 leant;

(a) *Essais Observations de Rimbourg tract.* III. *pag.* 476. *tom.* VII. *pag.* 83.

leant; (*a*) ſed in lue confirmata inefficacem hanc methodum eſſe, multoties obſervavimus; [*b*] unde ſaniores Medentium tantùm in morbis a lue incipiente ortis Mercurium illum præſcribunt. Porrò mercurialem hanc medicinam hypocondriacis infeſtam eſſe, numeroſiſsimis obſervatis celeberrimorum Virorum conſtitit. (*c*)

Quo loco tandem vix abſtinere me poſſum, quin judicium afferam de pillulis non ita diù a *Keiſero* vulgatis, quibus, ille jactitat, luem veneream confirmatam penitùs curari. Non quidem hoc dico, quòd illarum pillularum præparatio (quam de induſtria celat Medicus ille) mihi explorata ſit, verúm ſi conſiderentur quæcumque ad doſim pillularum, quicumque utendi eis modus, quæcumque ad earum effectum ſpectant, In ſumma ejuſdem methodus, in adhibendis hiſce pillulis, quam fusè deſcribit, intelligitur ſanè, compoſitionem pillularum ingredi Mercurium dulcem, vel aliud ſimile mercuriale componens, quo paſsim apud Germanos (*d*) nonnulli uti ſolent in curatione morborum venereorum.

Equidem ſi methodus *Keiſeri* ritè conferatur cum methodo adhibendi Mercurii dulcis, atque hinc inde juſta judicii lance librentur phenomena curationis, omnibus, qui a præjudiciis liberi ſunt, clarè patebit, arbitror: Primò, in utraque methodo opus eſſe, ut medicamenti doſis in dies augeatur; Secundo,

(a) *Joann. Ooſterdik Schacht de Lue vener. p. m.* 266. [b] *Joann. Aſtruccius de Morb. vener. tom.* I. [c] *Frideric. Hofmann. tom.* VI. §. XX. *p. m.* 314. [d] *Ooſterdik Schacht cap.* I.

dò, Utrobique cavendum esse, ne vis, & ferocia Mercurii latentis fauces, & interiora oris petendo, phtialismum infortuniorũ plenum excitet. Tertiò, Hinc Medentes, tam qui *Keiserum* sequuntur, quàm qui Mercurium dulcem adhibent, eò unicè intentos esse, ut universa remedii efficacia deorsum feratur, & quotidie semel, vel pluries alvum ducat.

Quamobrem cùm in methodo nostra vix umquam phtialismus (nisi aliquando in jam Mercuriali unguento delibutis) compareat, neque necessum sit, ut ad avertendam salivationem, quæ nulla est, purgantia adhibeamus, aut venam pluries secemus; & præterea jam ex nostris ægrotis patuerit, vim omnem remedii nostri, urinâ largiter effusa, aut leni alvi solutione prodeunte, compleri, conficique: colligitur exinde, methodum nostram ab illa *Keiseri* longè diversam esse, multùmque nostram antecellere.

XXX. Gallis porrò plurimis, ac Neapolitanis Medicis sola illitio Mercurialis placuit, & præ aliis Præparatis mercurialibus debellando huic morbo aptissima creditur. Jam verò duplici modo ipsam adhibent, modò pleniùs, modò striċtiùs; unde plenior, & parcior hydrargirosis exurgit; primam infamem, & crudelem esse, non est qui non videt, ut supra intuiti sumus; Secunda, licèt suis infortuniis non careat, altera multò mitior est; nam in ultima corpus disponitur iteratis phlebotomiis, balneis aquæ dulcis, laċte, repetitisque purgationibus &c. dein parvis dosibus unguenti Ægrum interpellatè illiniunt usquedum, saltem unciæ duæ cum dimidia impendantur: sed perperam cùm inde phtyalismus

lismus immodicus inexpectatò superveniat, & labia, ac gingivæ tumere incipiant, parotides dolore affici, dentes mobiliores fieri, & humores in putridum liquamen converti; aliquando etiam Mercurius tanta, & adeo violenta vi intestina irruit, ut sanguis in saniem solutus sævissimam in *cardialgiam*, tormina, dolores iliacos, colicosve, & omni ferè humana patientia majores, *Dissenteriam* acerrimam, aliaque plura simptomata excitet. Evenit sæpe sæpiùs etiam, ut virus, hydrargirosi licèt pacatum mitigatumque, sileat interdum; postea tamen quasi ex Insidiis emergat, & hominem crudelius affligat; unde in dies videmus bis, imò & ter institui illitiones mercuriales, absqe extirpati veneni signo; vel si aliquod levamē in se persentiāt Ægri, in totum verò non liberantur; (*a*) ideoque post inunctiones, licèt morbi simptomata aliquo modo remittere videantur, altis interea radicibus actis, denuó reviviscunt; Succedit etiam non rarò, morbo jam profligato, mira in delibutis virium debilitas, ob fluidorum, quæ tuendæ sanitati necessaria sunt, nimiam evacuationem, planè ut præ imbecillitate vix moveri possint. Dantur etiam morbi, in quibus illitus mercuriales vix præscribi possunt, vel saltem non nisi cum maxima pernicie ægrorum, scilicet primò, si febri lenta (§ xx) laboraverint, & ad insignem marcorem redacti fuerint; tunc sanè nulla medicaminis, aut alimenti genera, ob inustam à veneno venereo sanguini labem, infirmos valent reficere. Si etiam ossa carie sint erosa, nocivam forè illitionem, docent omnes eximii Practici; Nam tunc

(a) *Herman. Boerhav. de lue aphrodisiaca p. m.* v·

tunc atomi mercuriales colliguntur ut diximus (§. 14.) Ipſe etiam *Jo. Aſtruccius* hujuſce methodi patronus, ac acerrimus vindex, collectionem mercurii, licet invitus, fatetur frequenter contingere in oſsibus carioſis. In mollibus etiam partibus, locum habere poſſe eamdem non inficiatur, unde ſaniores Practici in hoc caſu, ab ejus uſu horrent, & nunquam adhibent, ut docuit *Nicolaus Cirillus* de hiſce, & ſimilibus morbis. Tertio ſi *ſcorbutica labes*, cum *celtica* conjungatur, in tali caſu hydrargirus meritó damnandus eſt, in primis ſi ſcorbutus in ſecundo *gradu Boerhaviano* conſtiterit; ii enim homines, præter crurum tumorem, faciei colorem pallidum, & fuſcum, habent etiam gingivas tumidas, ac putridas, eaſque ſanguinem ſtillantes; unde frequenter hemorragiæ ſæpè lethales in hoc morbo ſuboriuntur; Nam ſanguis eorum magna acredine onuſtus vaſa rodit, unde ſanguis profluit, præcipuè ex gingivis, ubi vaſa maximè nuda conſpiciuntur. Habent tandem omnes humores corruptos, & acres, eòque a Mercurio ita adhibito facilé exaſperandos. Sic dum *Neapoli* degerem addiſcendæ Medicinæ cauſa, in Noſocomio Incurabilium virum quadragenarium ſcorbuticum obſervavi, cui interior oris cavea ulceribus tota erat obſita, necnon gingivæ laxæ, & tumidiores cernebantur, idque non aliunde profectum, quàm a gonorrea virulenta, quam in ſua adoleſcentia contraxerat, ſed quam non ritè curaverat: hinc juxta vulgarem methodum illitiones mercuriales cùm ei præſcriptæ fuiſſent, nulla mora, quin poſt tertiam unctionem hemorragia ſanguinea ſuperveniret, quæ nullatenus ſiſti potuit; Ita namque diſſolutus erat Mercurio ejus ſan-

ſanguis, ut vaſibus ſummoperè diſtentis, viam ſibi fecerit in aliena vaſcula, & mortem attulerit. Porró ſi Ægri aliquo Aneuriſmate laboraverint, etiam a lue gallica, profectò hydrargiroſis damnanda erit. (*a*) Dantur tandem morbi, quos inunctionis mercurialis virtus rem non attingit, ſcilicet quando tetra lues per totam membranam cellularem diſſeminatur; [*b*] Nam ſphericæ particulæ mercurii per cutem intromiſſæ, diviſionem maximam ſubire non poſſunt; unde ad locum affectum nunquam perveniunt, uti patet in ſcrophulariis, ubi vis mercurii externa ad folliculos obſtructos non pertranſit: è contra verò mercurii interni ſumpti particulæ, methodica hacce noſtra henchireſi ſic diſponi poſſunt, ut cum liquoribus noſtris commixtæ, illoſque tenuiores reddentes, ſolidas partes, & organa ſecretoria placidius initent, & abſque ulla moleſtia, ſeu periculo, à veneno, quo turgebant exonerent; & ideo merito *Joannes Damianus Chevalier* de his agens in hæc prorumpit verba: *in gravioribus*, *&* *inveteratis*, inquit, *morbis debellandis illitionem mercurialem imparem plurium annorum experientia didicimus*.

XXXI. Ne verò pravos ſalivationis effectus perſentiant Ægroti, *Frideric. Hofman.* [*c*] vir famigeratiſsimus *Canphoram* addendam eſſe unguento mercuriali, juſsit methodo jam ſæculis tranſactis uſitatiſsima. (*d*) Pariſienſes Medici hanc viam ingreſsi, ſali-

(a) *Lanciſius de Motu cord.*, *&* *Aneuriſmat. p. m.* 168. *Joann. Ooſterdich Schacht cap.* X. *p. m.* 179. [b] *Hermann. Boerhav. de lue Aphrodiſiaca p. m.* 4. (c) *de Lue vener. cap.* 4. *p.* 96. [d] *Anton. Meſue de morbo gallico pag.* 56.

ſalivationi occurrere; unde impræſentiarum unguenta admittunt mercurialia, in quibus *Canphoram* certè pro baſi medicamenti conſtituunt; (Quale illud, quod tam egregiè a præclariſsimo Doctore *Torres* deprædicatur.) quam methodum nunc in patria noſtra nobilitat Doctor *Cajetanus Azzopardi* in Medicis ſcientiis maximè verſatus, ſequitur.

XXXII. Tandem anno vigeſimo ſupra milleſimum ſeptincenteſimum *Henricus Haguenot* novam Luis venereæ curandæ rationem, illitione hujus argenti, amota omni ſalivatione reperit, (*a*) ſcriptoque vulgavit, in qua commendat, ut quam ægroti ungantur mercuriali unguento, priùs in balneo aquæ dulcis per ſemihoram permaneant, quo cutis vaſa exhalantia, & inhalantia magis patula fiant, capacitates canalium illius vaporis ope augeantur, ſolidorumque ſtamina emollita relaxentur; unde motus ac impetus ſanguinis versùs peripheriam corporis magis determinatur. Demonſtrant etiam Phyſici *Neutoniani* omnes, ſaniſque rationibus evincunt, fluida omnia concurrere, quò minorem inveniunt reſiſtentiam; & ideo cùm tubuli in ambitu corporis laxentur, per actionem balneorum, & diametra canalium amplientur; efficitur, ut particulæ Mercurii debiliorem ibi renixum patiantur, proindeque in horum canalium parietes vim, qua maximè pollent, exerceant. Itaque metus futuræ ſalivationis præcavetur, dum ſanguinis motus mitigatur, nec ſua parte lymphatica & ſubtili ſpoliatur, quæ adeo in his morbis neceſſaria eſt; adeoque *Tuſſes*, *Phtiſes*, aliique plurimi morbi arcentur. Hinc ſana

 praxi,

[a] *Novel. Moien des Dones*, *L'unction Mercur. ann.* 1734.

praxi pluries constitit, phtialismum a Mercurio inductum non solùm inutilem esse, verùm etiam corporum tutelam magis infirmare, quàm a lue venerea ipsa, (*a*) vel a simili morbo lædi posse, videretur; Hac etiam methodo magna quantitas aquę Balnearis a vasis inhalantibus absorbetur, unde acrimonia snaguinis a mercuriali unguento illata mirum quantum mitigatur. Hanc indicationem maximè proficuam esse, cognoverunt etiam veteres Artis Cultores; unde *Aloysius Laboreè* in suo tractatu *de Morbo gallico* idiomate Hispanico conscripto, dum ægrotis in usu illitionum mercurialium sunt, perspirationem, ac sudorem promovendum esse dixerat; subjungit etiam alibi, dum de hujus morbì curatione tractat, quod si iis non succedat illa cutanea excretio, tunc crassa lecti stragula calefacienda sint, & vino aspergenda, his ægrotorum corpora involvenda, capite interim benè tecto; verùm si his adhibitis, sudor non erumpit, stupis calefactis ex canabe confectis uti jubet, ut sudores promoveantur. Quæ methodus, licèt fervorem sanguinis, ejusque acrimoniam a Mercurio ortam leniat; necnon a laboriosa, & fera salivatione ægrotantes liberet, sanitatem verò amissam non restituit; actio quippe argenti vivi, ut infra patebit, magna ex parte pendet ab ejus divisibilitate, & ideo quò magis attenuatur Mercurius, eò potentiùs venereum virus dividit, ac abripit. Hæc divisio Mercurii profluit a vi cordis impellente, & a strictiori lumine canalium, per quos urgetur; hinc e con-

(a) *Nicolaus Cirillus in Comment. Mich. Hetmuller. tom.* 1. *pag.* 932.

e converſo balnea aquæ tepidæ vaſa cutis laxant, & diametra canalium augent, & ideo Mercurium illitum ab ulteriori diviſione prohibendo efficiunt, ut inefficacior aliis mercurialibus præparatis evadat. Obſervata etiam celeberrimorum Virorum idipſum docere videntur; qua de re nova hæc ingenioſe methodus nunc in deſuetudinem abiit.

XXXIII. Adeo noſtro ævo Mercurii crudi evulgatus eſt uſus, ut non ſolùm in morbis venereis ipſum adhibeant, verùm tamquam remedium univerſale cunctis pene malis eradicandis aptum extollant, adversùs ſcilicet tumores, obſtructiones etiam inflammatorias, uti anginas, ubi immodico uſu propoſuere Medici quamplurimi Neapolitani; Imò in *acutis*, *malignis* etiam *Febribus* commendatum a multis video, tamquam unicum ſpecificum. [a]

XXXIV. Quomodo agit Mercurius crudus in corpore, diverſimodè explicatur ab ipſiuſmet Fautoribus; Aliqui ex ſingulari ejus natura, per experimenta ſola cognoſcenda agendi rationem repetunt; Alii Mercurium venerei virus ſingulare antidotum eſſe docent; Alii nullam Mercurio vim tribuunt, ſed ex quodam metallo, quocum ſub *malagmatis* ſpecie jungitur, vires ſuas Mercurium nutuari tuentur; *Joannes Aſtruccius* ex omnium corporum motus legibus perpenſis vim ejus explicare annititur; *Pitcarnius* verò, qui ex hiſce proprietatibus plurima deduxerat pulcherrima in Medicina; opinatus eſt, gravitatem argenti vivi ſolam ſufficere, nec aliam facultatem deſiderari ad eruendos metalli in corpore effectus; Aliorum tandem, qui

(a) *Morreali Epidem. di Reggio p. m.* XVIII.

qui pro illitione mercuriali militant, mens est, ex quatuor fontibus ejus efficaciā deducere, scilicèt ex *Gravitate*, *Divisibilitate*, *Figura*, *&* *vi impellēte*; Etenim cùm mercurius liquidorum omnium sit ponderosissimus, omnes ejus molleculæ singillatim sumptæ, suam gravitatē specificam majorem aliorum fluidorū particularum seorsim acceptarum continent, & toti moli proportionalem, ut demonstrarunt Physici omnes; Hinc si mercurius cum aliis liquidis sit commixtus, & utrisque motus ab eadem causa imprimatur; multò celeriùs movebitur Mercurius, & diutiùs servabit motum suum, quam reliqua liquida; quapropter illius atomi in fluidorum reliquorum particulas, segni motu impingentes, has vi quadam, ab exscessu velocitatis suæ ortâ penetraturæ sunt, necnon majus momentum motus iisdem impræssuræ; unde omnium homorum corporis nostri divisio, & salium attenuatio. Hæc innituntur rationibus a Phisicis, Mathematicis desumptis. Demonstrarunt quippe hi Viri momenta percusṡionum esse ut rectangula, ex gravitatibus, & celeritatibus corporum motorum facta, hoc est, si corporis gravitas A. sit $= 4$. Celeritas verò $= 3$. productum erit $4. \times 3. = 12.$, quod æquatur momento corporis A. moti. Unde corpora, quæ majorem habent densitatem; eadem celeritate manente, fortiora, & majoris motus sunt capacia, quàm quæ minùs gravitāt; Nā si corporis B. gravitas non statuatur $= 4.$ sed $= 3.$, in hoc casu cùm productum, idest $3. \times 3. = 9.$ sequitur momētum corporis B., debilius fore. Hinc ergo & similibus argumentis superstructam arbitrantur insignē, quá aliis remediis eminet *Mercurii crudi*, præstantiam, sed de hisce fusiùs infra. (Cap. VI.)

CAPUT

CAPUT IV.

DE EFFICACIA SUBLIMATI CORROSIVI
Cum ſpiritu Frumenti commixti in omnibus morbis venereiis deſperatis.

DRaco venenatus, ſive *Mercurius ſublimatus corroſivus* maximum remedium audit in lue venerea confirmata, ac efficaciorẽ eſſe Mercurio crudo, experientiiis tot magnorum in Arte Virorum edocti, aſſerere non veremur. *Artem enim experientia fecit, exemplo monſtrante, viam*, teſte *Hypocrate*; hoc tamen non obſtante, adhuc Medicos ab ejus uſu, tamquam a potentiſsimo veneno, exhorreſcere video. [*a*] Sic *Stephanus Franciſcus Geofroj* in ſua Materia Medica ſequentia ſcribit: ,, Mercurius corroſivus intùs ſumptus eadem, quę ,, Arſenicum, ſimptomata excitat. ,, *Carteuſerius* etiam ſcriptum reliquit: ,, Sunt quidem, qui Mercu- ,, rium ſublimatum corroſivum, in multa aqua ſo- ,, lutum, vel ſirupo quodam mitificatum in variis ,, morbis rebellibus, ut & ad ſalivationem in lue ,, venerea excitandam, interea commendant: Ve- ,, rùm unumquemque hortor Medicum, ut ab uſu ,, concreti hujus释 internè ſemper abſtineat, ſi aliás ,, conſcientiam ſalvam, & famam illibatam ſerva- ,, re velit. Noxæ enim, quas productum hoc in- ,, ternè uſurpatum infert, non ſemper poſt primam ,, ſtatim adſumptionem, ſed perſæpe poſt notabile ,, demùm tempus ſentiuntur. ,, Sed quám falſa, & ina-

[a] *Ludovicus Leſtaù p. 36.*

inania ſint *Cartuſerii* dicta, ac *Geoffroì*, infra clariùs patebit. Medici enim noſtra ætate florentes quamplurimi medicamenta tantùm ſimplicia amant præſcribere; & rectè quidem, cùm ſimplicia, licèt ſub magna doſi propinētur, periculo omni vacēt; ſed hiſce ſolis pharmacis Artem concludere velle, & compſiota negligere, illud aut Medentium incuriæ, aut ignorantiæ adſcribendum meritò eſt; Unde dum pertinaces morbi contingunt curandi, multoties ægrotos domeſticis hiſce auxiliis aggreſſos pro deſperatis turpiter relinquunt, nedum ſalutem, donum adeo optabile, ac neceſſarium ipſis reſtituunt.

XXXVI. Eſt enim *Sublimatus corroſivus* Mercurius ipſe ab acido ſalis marini roſus, & in ſublime elevatus, qui concreſcit in cryſtallos albas. Ipſum parant Chimici ſequenti modo: Recipe Mercurii purgati quantum placet, diſſolvatur in aquæ fortis s. q., ſolutio ad ſiccitatem evaporetur, adeo ut in fundo maſſa ſalina ſuperſit, quam permiſceri jubēt ſalis cōmunis decrepitati partibus quatuor. Deinde in matratio vitreo colli brevioris inſtituatur *ſublimatio*, elevabitur maſſa ſalina, quam *Sublimatum corroſivum* appellant, ut ſapienter *Stephanus Geoffroì* in ſua Materia Medica proceſſum hunc exponit.

Interim *Sublimati corroſivi* delectus habendus eſt, ſiquidem plerumque illud multis venis arſenicalibus ſaturatur, quodque proinde a noſtra praxi proſcribendum eſt: Dignoſcitur autem *Sublimatum corroſivum* verum a fictitio, ſeu ritè præparatum ab adulterato, ſi pauxillum olei tartari per deliquium affunditur, aut ſale tartari teritur: tunc enim ſi mixtura flaveſcit, certum eſt indicium, *Sublima-*

blimatum bonum esse: sin contrà nigrescit, nequaquam prodesse, ait *Michael Bernardus Valentinus* [*a*]. Non absimili ritu procedit ad dignoscendam, siquæ insit, in Sublimato Arsenicalem copiam, *Nicolaus Lemerius*, si scilicet pauco sale tartari confrictum nigrum evaserit; aliter enim si flavedinem acquisiverit, bonum censet. Alii *Sublimatum* corrosivum diversa analisi aggrediuntur; quod proinde carbonibus ardentibus superinjiciunt, atque si in tali casu flammam alit ceruleam in usum medicum inferunt; si verò flamma illa fuerit aliter colorata, eumdem a foro medico exulare jubent. [*b*] Tandem remedium hocce nostrum usurpaturo minimè necessarium esse videtur, ut sublimationem repetat, una enim sublimatio sufficit, modò obtineatur massa salina crystallina, alba, nullis aliis inquinata coloribus. Hanc siquidem eximias illas dotes habere ad luem veneream debellandam, ex variis tentaminibus tam celeberrimi *VVan-svieten*, quàm nostris videbimus infra.

XXXVII. Usus apud Medicos Germanos receptum est, ut in morbis venereis desperatis *Sublimatum*, spiritu verò frumenti dulcificent. Est enim *Spiritus frumenti* liquor albus subacidus, parùm amarus, oleo nitens, quod *nutritium* vocant Chimici, qui ore gustatus lenissimi, & saporis singularis, necnon penetrabilis, mobilis, parùm insipidi, (maximoperè) percipitur.

XXXVIII. Multifariàm spiritum hunc eliciunt Chimici; *Donzellus* jubet, ut frumentum cum aliqua

[a] *Histor. simplic. refor. lib.* 1. *de Mineralibus.*
[b] *Alexius Pedemontanus par.* 3. *pag. m.* 21.

qua portione *agri* in ſufficienti aquæ quantitate maceretur, donec fermentatio incipiat; quam lento dein igne promovendam vult; dein fermentatum jam antea in vaſe terreo liquidum in alembicum reponit, & aliorum ſpirituum vegetantium more, *Balneo Mariæ* ſpiritum hunc a frumento extrahit. Nos veró, antequam a frumento ſpiritum elicimus, varios apparatus præmittimus; & primò: Seligimus grana frumenti matura, optima, ponderoſa, jamque ſicca, & integra; Hæc enim meliora reputantur a *Gortero*, quæ aquis fluvialibus immitti debent, ibique relinquenda, uſquedum optimè emollita intumuerint. Dein exempta frumenti grana ex aqua in loco aperto, ac ventis perflato, ut vitalia rudimenta ſeminum, & radicum excitentur, & actuoſa reddantur, atque germinare incipiant. Sed attentè præcavendum eſt ne nimio æſtu materies putreſcat, & né diù germinans radicem, ſubſtantiamque farinoſam abſumat, alitèr enim ſpiritus noſter frumenti non habebitur. Deindè germinatione finita oportet, quam ociſsime frumentum illum diſpergere, ne ita acervatum, fervorem concipiat, utque ventis perflari comodè poſsit.

Frumentum igitur ità præparatum in aliquo vaſe terreo collocamus, & preſertim ubi calor loci inter ſexaginta, & ſeptuaginta gradus reperitur. Servari debet preter hæc apertum vas, ut aer libere ingredi, & ægredi queat, tegi veró panno laneo, nè inſecta incidant. Tempus requiſitum ad fermentationem perfectam abſolvendam, vix determinari poteſt, licèt ut plurimum quindecim dierum intervallum ſufficiat operi; Nàm pro varietate loci, tempeſtatis anni, caloris, venti &c. vanum etiam

tiam tempus requiritur. Dei nde frumentũ alembico committendum eſt cum ſufficienti copia aquæ calidæ, in qua diſſolutum fuerit agrum frumenti; nec claudi debet orificium alembici, donec in plenam fermentationem erumpat. Ubi proceſſum prædictum obſervaveris, tunc enim ſtatim vas claudendum eſt, & fermentatus liquor unà cum ſua *matre* ſervandus erit; ſecus enim ſpiritus ex fermentatione productus, in aerem ne avolet, deperdaturque, periculum eſt. Dein fermentatus liquor in vaſe hermeticè obſerato unà cum *floribus*, ut ajunt, & *fæcibus* in loco frigido reponendus, ut ſpirituum inde natorum impediatur evaporatio. Porró curandum eſt, ut ante deſtillationem commoveatur tantiſper liquor cum ſuis *fæcibus*, ut major quantitas ſpirituum extrahatur; neque recipientis parietibus, fundoque, cum uſtionis metu adhæreat.

Neque prætereundi ſunt plerique alii præparandi *Sublimati noſtri* modi, quos diverſi Auctores tradidere. Sic *Sgobius* ad uſum internum ſpiritum, ſeu oleum diaforeticum dulce elaboravit, quod ex Sublimato corroſivo cum aceto acerrimo diſſoluto parare docuit; Sic alii, hac ſolutione neglecta, ſtatim infundunt vini ſpiritum optimè rectificatum in cucurbita larga, haud adeò longa, & poſt brevem digeſtionem arenæ, igne non adeó ferventi, extrahunt vini ſpiritum, repetuntque cocobationem, uſquequò Sublimatus totus in formam olei, vel ſpiritus albicantis tranſeat per alembicum (*a*) Sic tandem *Carolus Muſitanus* (*b*) eumdem ſpiritum præparat, & ad ſydera extollit in curandis ulce-

K ribus

(a) *Bertini de uſu Mercur. p.* 7. (b) *lib.* 4. *p. m.* 584.

ribus malignis cancrosis, præsertim renum, & vesicæ, tam intrinsecè, quàm extrinsecè adhibitum.

XXXIX. Hic enim Spiritus *sublimatus corrisivus* mirificè dulcescit adeò, atque innoxius redditur; nam dum *Mercurius corrosivus* in spiritu frumenti dissolvitur, necesse est, ut ejus partes saltem dissocientur ab invicem, & puncta contactus mutent, quem antea habebant cum vicinis partibus; [a] Unde molleculæ cubicæ Sublimati divisionem magnam subeant oportet, & inter spatia vacua spiritus frumenti sese insinuent per vim agitationis, qui in tali casu tamquam vehiculum Sublimati reputandus est; Granum enim unum Sublimati in duabus saltem unciis Spiritus dissolvi jubent *Germani* Medici; [b] Unde clarissimè liquet, corrosivam vim Sublimati magna ex parte, & in totum meliùs dixeris, correctum iri; Salium enim omnium, dum soluta fluunt, vis quasi universa amittitur, *Boerhavio* docẽte; unde de his agens, sequẽtia habet: „ Argenti vivi sublimati *dracma una* lethalis est: „ eadem in viginti quinque aquæ libris diluta in„ noxiè adsumitur; nam aqua omnia venena ener„ vat. „ Sic etiam *Nicolaus Lemeri* in suo cursu Chimico [d] asserit, Sublimatum corrosivum aqua calcis solutum statim flavum colorem acquirere, ac adeó corrosivam vim amittere, ut cuilibet absque vitæ periculo propinari posse. Id ipsum vidit Clarissimus *Sidenbamius* in illo servo, qui cùm haud modicam *sublimati corrosivi* quantitatem sumpsis-

set-

[a] *Guglielmin. de salib. p. m.* 200. (b) *VVas-vieten des Maladies dans les armèes.* (a) *Prælection. in insist. Medic.* §. 1129. [d] *p. m.* 188.

ſet multa aqua tepida ingeſta á morte liberatus eſt. [*a*] Alia etiam exēpla legi poſſunt apud *Baſſanum* in ſua Epiſtola Apologetica Romæ edita contra *Bonellum* anno præterito 1761.

Plura enim alia hujus generis nobis ob oculos ponunt Chimici omnes; ſcilicet ſi *Bútirum Antimonii*, quod venenum atrociſsimum eſſe, omnes docent, & nemo dubitat, ſi aqua calida diluatur, illicò in calcem mutetur, humoremque acidum innocentem conſtituat. [*b*] Sic etiam ſi *Oppium* in non aſſuetis magna doſi propinetur, maximam perniciem affert, & *apoplexiam*, *mortemque* gignit, & tamen quis neſcit quanti uſus ſit in Medicina, & quantùm ægrotis proſit; [*c*] unde *Sidenhamius* [*d*] Medicus noſtri Sæculi celeberrimus Medicinam infructuoſam eſſe, aſſerit, ſine remedii hujus auxilio; Ita etiam, ſi *Scammonium* nimia copiâ, & non correctum uſurpetur, ſymptomata varia, mortemque ipſam creare poteſt: hoc tamen non obſtante, eo quotidie utuntur Medici; unde mirum non eſt, ſi *Mercurius corroſivus*, licét ex ſua natura formidandus ſit, tamen ſpiritu frumenti commixtus ſuam vim deleteriam deperdat, & in ſalutarem medicinam converti poſsit; ut infra ab experimentis clariùs patebit. Meritó igitur Doctor *Boſſier* de *Soauvages* negavit, reperiri poſſe venenum, quod in auxilium arte non cedat, neque medicamentum ullum, quod toxici naturam non induere, imprudenter uſurpatum, valeat. [*e*]

K 2 XXXX.

[a] *Epiſt. reſponſ.* 1. *ſub finem.* [b] *Chriſtianus Blaſche p. m.* 38. [c] *Cranen de homine tom.* 1. [d] *pag.* 104. [e] *Diſſertat. ſopra li Medic. che attacc. alcune parti p.* 11.

XXXX. Chimici etiam omnes id innuere videntur, ab omnibus vegetabilibus extrahi majorem, vel minorem quantitatem *ſalis alkalini eſſentialis*; Imprimis ex granis tritici magnam hujus ſalis vim elici, demonſtrat *Geoffroy*; [a] Hæc enim ſalia acidū obtundunt, & vim ejus opprimunt, unde neceſſe eſt, ut a ſpiritu frumenti partes aliquæ Sublimati acidæ eamdem ſortem ſubeant. Unde *Boerhavius* Chimicorum omnium Coriphæus, in *Elementis* ſuæ *Chemiæ*, ex acerrimis cauſticis ſola miſcelâ alkali cum acido, ſtatim naſcitur *ſal neutrum*, blandum, frigefaciens, nullo modo rodens, ſimile nitro regenerato reperit.

XXXXI. Et licèt ſpiritus frumenti impropriè alkalinus dicatur, ideò quod magnam quantitatem acidi ipſius flemmæ intra ſuos poros involvat, tamen acidum in Mercurio corroſivo luxurians, maximoperè diſſolvit, ſuaque parte oleoſa intricat, nexuque intimo cum ipſo jungitur; ſicque ſpicula acida ſub oleo latentia vim ſuam ſtimulantem, ac corroſivam ex parte amittunt; quandoquidem non exiguam partem olei in frumenti ſpiritu contineri, omnes *Chìmici* conſentiunt; [b]

Neque temerè, & ad pompam formulæ noſtræ adjungitur Spiritus frumenti, quo multùm inertem reddi *Sublimatum* noſtrum, & ſupra diximus, & experientia confirmat. Siquidem non abſque ratione frumentum diverſimodè paratum, unà cum mercurialibus de induſtria mixtum fuiſſe, a diverſis Auctoribus habemus. Ita *Petrus Bayrus* Taurinenſis pilu-

(a) *Part.* III. *pag.* 68. (b) *Stephan. Geoffroy de vegetabilib. indigenis par.* III. *p. m.* 78.

pilulas ſuas contra gallicos dolores, nodoſitates, & exulcerationes habet apud *Luiſinum*; [*a*] quas ex Argento vivo, Rabarbaro electo, Diagridio, Moſco, Ambra, & Farina frumenti, cum ſucco limonum conficit. Ita quoque ſimiles pilularum formæ occurrunt apud *Joannem VVierum* Doctorem Medicum adversùs luem hanc, factæ ex maſſa; quam cum *Mercurio* farina tritici ingreditur. (*b*) Ita tandem, Auctore *Aſtruccio*, uſitatiſsimum habetur inter Sinenſes adversùs morbos venereos remedium, quod abſque ulla ſpecierum ambage, ex *Mercurio* dulci, Terra Japonica, Farina tritici, aliiſque ſimilibus mixtis, & affuſa aqua communi in paſtam ſubmollem pinſatis conficitur, (*c*) quibus illud planum fieri poteſt hærere aliquid in ſubſtantiam frumenti, quod particulis alioquin acutiſsimis, & certò læſuris involvendis, enervandiſque ſufficiat; proindeque tela *Sublimati* noſtri coerceat ita, ut illa intra corpus ſumpta prodeſſe quidem ſemper, nocere nequaquam poſsint.

Spiritus omnes vegetantium ſalia rodentia dulcificant, omnium Chimicorum conſenſu; cùm hæc nihil ferèdifferant inter ſe. (*d*) Hinc ex ſumma particularum tenuitate, & ſimul ex diverſa ipſorum gravitate emotionem aliquam, ſeu levem fermentationem oriri conſequens eſt; unde mollecularum angulis per illam inteſtinam agitationem multùm abradi neceſſe eſt; & ideo earum actionem eadem ratione imminui nullus dubito. Demonſtrant enim

Phy-

(a) *Tom.* 1. *p. m.* 736. (b) *Vide Aſtrucc. tom.* II. *lib.* v. *Sæculi* XVI. *num.* 2. (c) *Diſſert.* 1. *de Natu. &c.* §. IV. IϽLI. *Formula* 1. (d) *Boerhav. Element. Chem. tom.* II. *par.* 1. *proc.* 43.

Physici omnes, quod corpora omnia agant ratione suæ figuræ, duritiei, & gravitatis &c. unde dum figuræ angulosæ, vel cubicæ minuuntur acumina, lævigantur; perit etiam stimuli momentum, & erosionis impressio.

XXXXII. Hoc etiam exemplis similibus illustratur; scilicet si oleum *Vitrioli* spiritu vini aromatico, acido sulphureo, volatili & ætheris pauxillo prægnante solutum erit, liquor anodinus *Hofmannianus* emergit, quem insignis sedantis *antispasmodici*, *antihemeticì* titulis celebrem, apud Auctorem legere est; & quem verum venenum esse, omnes fatentur, nec unquam in usus medicos præscribendum, aut ab ullo, quem sciam, præscriptum hactenùs.

XXXXIII. Cauté ergo non minùs, quàm sapienter *Britanni* Medici in cineribus plantarum corpuscula ferrea existere in suis Observationibus evulgarunt; Inde permoti, quod *Magnetis* ope eadem attraherentur. Quinimo anno 1704. 1705. 1706. 1712. in Actis Accademiæ Scientiarum Parisiensis, in omnibus plantis partes ferreas reperiri, demonstravit doctissimus *Lemerj*, ex laboriosissimis experimentis ejusdem Auctoris in melle peractis, hoc etiam confirmatum habemus; Nam si quis unquam vegetabilium succorum a ferri natura, & indole fuit remotus, certé hoc *Mel* esse videtur; Quod nihilo seciùs arte tractum *in capite*, ut ajunt, *mortuo*, signa ferri dedit non obscura, attracto quasi uncinis a præsenti magnete. Quid quod destillatum mel ferruginea hæcce corpuscula exhibuit, quæ laudati Auctoris fide a magnete alliciebantur. Tandem sequenti experimento rem ex-

tra

tra dubium collocasse videtur: scilicet si limaturæ ferri *Nitri* spiritus vehiculo innatanti addatur oleum *tartari* per *deliquium*, tunc jucunda germinatio spectatur a Chimicis, *arbor Martis* appellata; quæ quidem germinatio solo oleo tartari nitri spiritu commixto cùm tribui nequeat, restat, ut meritò cum doctissimo Auctore eandem particulis ferreis adscribamus evolutis, sibi variè adhærentibus, & diversis vasis parietibus applicitis, evidentissimo argumento elementa ferri ab acidis dissoluti ultima stamina vègetantium penetrare posse. *Alphonsus Borellus*, (*a*) *Marcellus Malpighius*, [*b*] aliique Auctores abundè experti sunt, semina plantarum nihil aliud esse, præter plantulas ipsas, quamprimùm evolvendas, & ampliandas; unde si seges ipsa ferro ditescit, ut vincunt Chimici; idemque in frumento quoque inveniri necesse est. Exinde ab *Hermanno Boerhave* edocti asserimus, acidas partes absorberi a ferro; (*c*) & ideo non temerè Illustrissimus Baro *Gerardus VVan-svieten* spiritum frumenti seligit, *corrosivum Sublimatum* mitigaturus, *Lapidem infernalem* causticam vim omnibus notam, limatura tamen caalybis exceptam, insontem reddi, nemo inficiatur; (*d*) *Vitriolum* etiam chalybe saturatum medicamentum fit innocuum; ita etiam *Mercurius sublimatus corrosivus* cum limatura chalybis contritus, benignus fit, omnemque suam vim rodentissimam deponit; scilicet propter *naturam alkali-*

[a] *de motu animal. pag*: 174. (b) *par*. I. [c] *Element Chemic tom*. II. *p*. 117. *Nicol. Cirillus dissert. de usu ferri medico*. (d) *Boerhav. de virib. medicam. par*. II.

kalinam; unde claré patet, quare Sublimatus corrosivus nostra methodo datus, & spiritui frumenti admixtus, adeò cicuretur, ut in remedium salutare facescat. Tandem, ut iisdem verbis utar, quibus clarissimus *Bona* usus est: „ Si aliquis assumpserit eam „ Sublimati quantitatem, quæ mortem inferre pos- „ sit, non aliud antidotum præstantius dabitur, „ quàm illud ipsum emolliens decoctum, vel lac; „ eò plùs quod dosis *Mercurii sublimati*, quæ a „ nobis præscribitur, vix per se, ac ne vix qui- „ dem, nocere possit. (*a*)

Neque tamen, quum hæc scribo, sum nescius, quantis difficultatibus premi possent ab iis, quos non latet fortè Chimica dulcificatio salium, etiam causticorum per spiritus volatiles oleosos, ardentes, proinde ut illud consequi videretur spiritum nostrũ *Frumenti*, non ratione acidi involuti, sed tantùm ope spirituosi cujusdam liquoris oleosi dulcificare annexum sibi Sublimatum. Imprimis si consideretur Processus *Boerhavianus* XLV. (*b*) ubi maltum, & farina fermentata destillare dicuntur in Spiritus ardentes, & Acetum; cui spirituoso liquori tenuissimo titulum *Spiritus Frumenti* idem gravissimus Auctor tribuit. Erit ergo, inquies, devulgatus adeo noster *Spiritus Frumenti* omni acido manifesto, & aliis qualitatibus a nobis assignatis orbus, & quod inde sequitur totus quantus est spiritui ardenti refertus, proindeque totum huic hypothesi subnixum de agendi in Sublimato nostro modò ædificium

(a) *Joannes Bona histor. aliquot curat. Mercur. sublimat. corroden. præfectarum. pag.* 13. (b) *Elemen. Chem. tom.* II. *pag. m.* 121.

ædificium Theoreticum, & Therrapeuticũ corruat, necesse est. Fateor sanè hanc propositam tempestivè difficultatem primo aspectu maximi esse momenti; sed re intimiùs pensitata, facilis solutu evadit. Namque advertendum est in illo apparatu *Boerhavium* postulare, ut *Maltum*, & farina per admixtionem floris Cerevisiæ potentis, violentam, absolutamque fermentationem priùs experiantur, quàm destillationi committantur; Quo quidem in casu habebitur Cerevisia optima, quæ tamen licèt spiritum ardentem destillando fundat, adeo tamen in acedinem prona est, ut ab hac non nisi per adjunctas amarissimas herbas servari unicè possit.

Quare liquet diversam heic exigere præparationem Summum *Boerhavium*, ad eliciendum Spiritum frumenti, diversam, inquam, a nostra; In qua quidem ita dictus Spiritus frumenti prodit, sed qui fatuus, insipidus, inodorus, & flammam extinguens; non erit igitur Spiritus hic noster frumenti effectus fermentationis *Vinosæ*, quæ in destillatione primò dat spiritus ardentes in igne, sed potiùs effectus fermentationis *acetosæ*, quæ acetum tantùm exhibet: vocem ergo spiritus minùs propriam ita interpretari congruum erat; non quòd spirituosis partibus omnino careat; sed quòd in multò minori ratione spirituosum oleosum in sinu gerat, quàm spiritus V. G. Vini. Hinc est, quod Spiritus hic noster numquam odorem spirat acidum, neque degustatus acet ullo modo, ac proinde inter phlegmatis quò abundat partes, spicula nativa acida irretita, & summè diluta continet; quibus proinde prægnans particulis, & æquabiliter Sublimati granis affusus, Sublimatum in minima scindit,

 & af-

& affriat, & tamquam totidem cuneis immeabiles virus venerei moleculas vectum in vascula dividit. Argumentum ergo petitum ab Historia fermentationis, & methodo dulcificandorum salium acidorum delitescentium, infirmum planè censendum est, utpote quæ salia acida mitia sunt, neque adeo effracta, atque multùm inflammabili parti unita, sed qualia in Hordeo, Cerevisia &c. latere implicita demonstravit *Geofroy*; (*a*) & sanè oportebat ad scopum nostrum, ut si quid oleosi Spiritui nostro inhæreat levissimum, neque ullo modo volatile esset; Similiter, neque conspicuè acidum, neque ullo modo mobilem esse oportuit Spiritum nostrum; aliter enim si spiritu ardenti oleoso, quin & acidis volatilibus, & mobilissimis scateret partibus *Spiritus Frumenti* arte nostra paratus, verendum sanè esset, ne deglutitus, & glottidis aperturam præterlabens, minima ejusdem parte vasa pulmonalia in spasmos traheret, & tussim feralem excitaret; Quæ infortunia post assumptum vinum valde sulfureum contingere utplurimum, Auctor est *Joannes Hejman*. (*b*) Ut tandem prætercam ab acidis aculeis sui juris factis, & præsertim ab oleosis partibus nimium exaltatis lacteorum oscula adeo constringi, ut aditum omnem liquoribus istiusmodi pernegent.

Concludendum itaque est, experientia teste, & comite ratione, si quid boni expectandum sit in morborum venereorum therrapeja a Sublimato in *Spiritu frumenti* liquato, illud omne parum, vel nihil

(a) *Mater Medic. tom. 2. sect. 1. artic. 9.* (b) *Tom. 2. pag. m. 383.*

nihil deberi oleoſo mobiliſsimo, inflammabilique principio, quo orbatur, ſed maximam partem proficiſci ex particulis acidis, unà cum mucilaginoſis, farinoſiſque intermixtis, quibus junctâ operâ unitis, & in ſanguinem venerea lue affectorum illapſis, & Sublimati minutiſsimas partes eo modo mitificatas, atque obvolutas traducentes, quæ omnem feliciſsimè curationis morborum venereorum paginam adimplent; fortè etiam acidum illud cereale quid ſpecificum adversùs nefandam Luem in ſinu gerit; exemplo, & argumento ſunt gallica ſiqui Lue adusque oſſa infecti ad Liburnicas damnentur; illi namque ſolo pane bis cocto, & aqua utentes, radicitùs curantur. (*a*)

XXXXIV. Primus ferè omnium Auctorum, qui de Lue venerea ſcripſere Cronologiam, fuit *Ricardus Viſeman* Chirurgus; qui in ſuo tractatu *De Lue venerea* anno 1676. Londini edito, inter remedia uſu recepta ad curandam luem Americanam *Draconem venenatum* numerat, ipſumque in aquæ fontanæ diſſolutum ægris dabat, ipſiſque multùm prodeſſe, ſcribit; dein a quibuſdam Practicis hoc remedium multùm commendari, refert *Aſtruccius*, ſe autem illo nunquam uſum fuiſſe ſcribit.

Succeſsit deinde Empiricus quidam Anglus, qui anno 1717., referente *Turnero*, (*b*) peractis multis periclitationibus methodo ſuæ, quæ cum noſtra coincidere videtur, famam conciliare conabatur, & quidem felici auſu, ut idem *Turnerus* memo-

(a) *Hejman tom. 2. pag. m. 363.* (b) *Diſſert. de Morb. vener. Edit. Londin. ann. 1717. pag. m. 99.*

riæ prodidit. Porrò *Sublimato corrosivo* ita utebatur, ut illius octavam partem in octo partibus spiritus vini dilueret, atque ea ratione paratum, hordei, aut alterius Cerealis jusculo infusum dabat.

Docet etiam *Carolus le Roy* (*a*) in suis Quæstionibus Medicis, decem ab hinc annis cum singulari successu, incantamenti ad instar, in morbis venereis confirmatis, atque desperatis *Mercurium sublimatum corrosivum* adhibitum fuisse a quodam Chirurgo ad Gallos curandos, qui in exercitu inveniebantur, tunc apud Belgas degente; eorum enim quamplurimi hoc morbo laborabant. Notum etiam erat hoc remedii genus apud *Gallos*, regnante adhuc Rege *Ludovico* XIV., sub titulo: *Le Remed. dù Chevalier*, forsan quia æques fuit, qui hoccè remedio usus, fuisse primus videbatur, & solus qui arcanum hoc pro morbis venereis debellandis posṡidebat. (*b*)

XXXXV. *Hermannus Boerhave* tandem de *Mercurio* sublimato corrosivo agens, (*c*) hæc habet: „ Granum unum aquæ uncia dilutum dat reme„ dium cosmeticum prudenter usurpantibus. Ve„ nenum omnium insectorum cutaneorum simplici „ lotura. Si drachma talis mixturæ syrupo viola„ ceo mitificata potatur bis, terve in die, mira „ præstat in multis morbis incurabilibus. At pru„ denter a prudente Medico; abstine, si metho„ dum nescis. „ Cubicæ enim partes *Sublimati courosivi* per alkali violarum maxima in parte corriguntur, & ideo vis ejus venenata supprimitur, & in

(a) *Quæstion*. III. *pag*. 7. (b) *Carolus le Roy quæst*. I. *p*. 36. (c) *Elem. Chemie tom*. II. *par*. III. *proc*. 198.

in veram medicinam luis Aphrodisiacæ commutatur, ut in §. xxxx; alibi etiam subjungit (*a*) laudatus Auctor sequentia: *Mercurius sublimatus corrosivus si Rob sambuci permiscetur, plurimum prodest in morbis cronicis*; Quæ omnia satis probant, Mercurium sublimatum corrodentem ab *Hermanno Boerhavio* usitatum fuisse.

XXXXVI. Sed qua methodo *Sublimatus corrosivus* propinari debeat, & quænam sit ejus dosis, in quo vehiculo, & quibus morbis conveniret, adhuc in obscuris latebat; nullus enim ex Auctoribus allatis ad hæc iter aperuit, donec nostra ætate celeberrimus *Antonius de Haen* consilio Illustrissimi Baronis *Gerardi VVan-svvieten*, (*b*) Vir sanè omni scientiarum eruditione clarus, & Præceptoris sui laudis æmulus, diversis experimentis in Nosocomio Practico, aliisque in locis efficaciam hujus remedii in morbis venereis desperatis expertus est, & Typis vulgavit, etiam omnium primus; quo tanquam duce prævio, ritè hujusce remedii administrandi modum nostrates Medici intellexerunt, & amplexi sunt; dum scilicet de quodam ægrotante consulenti Doctori Joanni Bruno, Medico Primario Xenodochii Sacræ Religionis Hierosolymitanæ, responsum misit ille vir; en historia ipsius verbis scripta.

XXXXVII. Nobilis Æger sexagesimum annum natus, macilenti habitu, ac sauguineo temperamento præditus, floridiori adhuc decimi septimi anni ætate Gonoream contraxerat; hanc, Parentes celare

(a) *De virib. medicam. part.* III. *cap.* XIII.
(b) *Christian. Blasche dissert. de vi venereor. medica.*

lare ſtudens, intempeſtiva curatione ſuppreſsit. Verúm, qui jam morbo occurriſſe putabat, continuò de acri diſſuria conqueri cœpit; hanc quoque neglexit Æger nullo vitæ regimine, nulloque remediorum ſubſidio per plures annos adhibito: Morbum hæc magis efferarunt, utque in veram veſicalem ishuriam inciderit magno teneſmo ſtipatam, atque imi ventris tenſione magna, quæ Phlogoſim minabantur, tantoque caſui præſtò fuerunt venæ ſectiones, emollientia, ſemicupia, interna malactica, atque externa, aliaque generis hujus legibus artis conſona, quæ tamen ex ſententia non ſucceſſerunt, ut ad Catheteris uſum confugere opus fuerit: hujus ingreſſum perdifficilem etiam ſumus experti, ob nimios offenſos obices in collo veſicæ; at ingreſſo tandem reiterationis ope anodinorum, ac phlebotomiarum nimia urinę copia manavit tota ſabuloſa, muccoſa, & pure plena, ejuſque ſedimentum quartam matulæ partem occupabat; neque mingendi pruritu capiebatur, quin ob nimios conatus in ſpaſmos incidebat, niſi Cathetere impromptu eſſet Chirurgus, cui bis, terque in die mancipari cogebatur; attamen medicaminum ope ex Catheteris faſtidio tandem emerſit; die verò vigeſimo non adhuc expleto, quòd iſcuria iterum exitioſa inceſsit, atque licèt mitiùs in Ægrotum inſæviſſet conatuum acerbitate in diſtenſione veſicæ, non impari tamen contumacia, reſtitit præelectis antea remediis, nec niſi Catheteris præſtantiæ ceſsit: At perſiſtentia morbi adhuc urgente, alios Profeſſores accerſivimus, conſulentes de morbi cauſa radicitùs evellenda, atque concordi ſententia lac, juſcula, ex Mercurio

reme-

remedia præſcripta fuerunt, & illitiones mercuriales in perineo inſtitutæ, quarum uſu ſalivatio ingens gravi Ægroti poena excitata fuit. Ad uſum inde ſeri, balſami ex pareira brava confecti devenimus, atque demum ad balnea confugimus; hiſce verò incaſſum adhibitis, nihil profecit Æger coactus aſsiduè uti Cathetere. Multùmque poſtea verentes inducias, quas conatus pepigerant, obiceſque in collo veſicæ, ac ſedimenta pene detecta, neque temerè prorsùs ſuſpicantes, muſcularem tunicam veſicæ paralyſi affectam eſſe, veſicatorium in oſſe ſacro decrevimus, quod ſanè magnoperè profuturum ſperabamus; noſtra verò nos deluſit opinio. In hac rerum anguſtia omnes feré conſilii expertes Pariſienſes, ac Neapolitanos Medicos conſulendos duximus: horumque ſententia fuit, litibus mercurialibus ſupponendum Ægrum, eique lacteam curam exhibendam ea methodo, quæ impræſentiarum viget; hiſce tamen fruſtra quoque perpeſsis dolet Æger, eademque morbi tyrannide hactenus torquetur; quare nunc, Expertiſsime Vir, te adimus, tuam implorantes opem: Sed ne quidquam hiſtoriæ morbi te lateat, ſcias, Ægrotum, qui ab ineunte uſque ætate veneri litaverat, commoda, ac efficaci ſeminis ejaculatione ſemper caruiſſe, nec niſi ſummo conamine paucam tenuioris liquidi copiam exantlabat: huic incommodo variis curavimus remediis occurrere, at nec cæteris impari infelici ſucceſſu conatus noſtros deluſit. Interea deſcriptæ, qua diligentia potuimus, totius morbi hiſtoriæ nihil ſupereſt, niſi ut ſingulari huic morbo tutam atque efficacem medelam celebratiſſima, & toti Europæ nota in lue medēda felicitate tua opponas. Vale.

Reſpon-

Responsum Illustrissimi Domini Antonii de Haen *in Universitate* Vindobonensi *praxeos Professoris Primarii*.

XXXXVIII. „ EXactè perpendi casum, cujus an-
„ nosissima origo gonoreã arguit,
„ iterata venere adeò virulentã, ut in ductu urethe-
„ ræ partibusque eam in principio ambientibus pes-
„ simas genuerit excrescentias, quę *hyscuriæ*, *stran-
„ guriæ*, *dissuriæ* producendis aptæ natæ sunt.

„ Quotidiana experientia, ususque præ ceden-
„ tium sæculorum millies demonstraverunt, ejus-
„ modi gonoreæ symptomata *ptyalismo mer-
„ curiali* sanari nequaquam, sed peracta salivatio-
„ ne peculiarem sui curam poscere: ad formidandum
„ ergo hoc simptoma curandum, duo indicantur.

„ Primò, ut obstructiones a gonorea supersti-
„ tes, ac excrescentiæ tumoresque prodeũtes blandè
„ solvantur remedio efficacissimo quidem solven-
„ te, reliquo verò corpori amico. Præstat mira-
„ biles prorsus in hoc casu effectus *mercurius sub-
„ limatus* mixtus cum magna *spiritus* frumenti
„ copia: Summò effectu hoc remedium damus e-
„ tiam pueris, & puellis fertur facillimé. Raris-
„ simè continuus ejus usus *salivationem movit*,
„ quod si advertetur os petere, illicó purgante
„ deorsum fertur; causaque cur nequaquam sali-
„ vationem cieret, erat, quod non sufficienter bi-
„ berent ægroti.

„ Secundo indicatur remedium, quod urethere
„ inditum, tumores ejusdem sensim blandissimè
„ consumat. Parisiensis Chirurgus *Daran* suis tu-
„ rundis plurimos tales, quos novi, & examinavi

dein-

„ deinceps, aut curavit, aut vitam ipsis tolerabi-
„ lem reddidit; quæ geruntur semper in uretra,
„ nisi quando urina urget, & tum urinâ emissa,
„ illicò remittuntur in *uretram*.

„ ℞. Mercurii sublimati corrosivi grana viginti,
„ spiritus Frumenti libras tres m. Sumat. manè je-
„ junus, & vespere bihorio ante cœnam, coclea-
„ re unum, idest unciam unam de die.

„ ℞. Radicis *bardanæ*, *Graminis*, *Altheæ* un-
„ cias duas, coque in aqua pura per unam horam,
„ sub finem adde *gliciriza* unciam semis, per se-
„ mihoram infundantur colaturæ libris tribus; bi-
„ bat quater de die uncias quinque; Si Æger fa-
„ stidiosus est a medicamentis, posset libras duas
„ lactis, cum libris duabus aquæ, partitis vicibus
„ de die assumere.

„ Continuata per plures menses hac metho-
„ do magna, spes assurget, fore ut Æger sola-
„ men ingens percipiat, quod ipsi per *Dei mise-*
„ *ricordiam* ex animo adprecor.

XXXXIX. Hac sola methodo semper felici even-
tu curabat laudatus de *Haen* ægrotos morbo vene-
reò affectos; idque ut oculatus Testis, dum Vin-
debonæ essem, testari possum: Unde de Sublimato
corrosivo agens in ultimo suo opere *Ratio meden-
di in Nosocomio Practico &c.*, de varia medicamẽto-
rum efficacia sequentia docet: „ Mercurius subli-
„ matus corrosivus cum spiritu frumenti datus est
„ remedium incomparabile, & in multis casibus
„ utor cum prospero eventu, & experientia sem-
„ per optatis votis arrisit. „ Asserit etiam eo-
dem in loco, se curasse Juvenem, septem men-
sium spatio, ab albugine, & opacitate corneæ, quam

pertinax, & simul perperam tractata *lippitudo* invexerat, nullo alio remedio interno adhibito, præter *Sublimatum* in spiritu Frumenti dissolutum. Sanitati etiam hominem reddidit, qui post *phlictenes*, & crassum *pterigion*, in cornea enatum, luem veneream ex impuro coitu contraxerat; Nam & a lue, & a *panno corneæ* trium mensium spatio, immunis evasit, ut nec vestigium morbi superesset.

Refert etiam, se vidisse hominem, qui ob vetustissimum virus a se susceptum *artriticus* factus erat, ut hinc *Hanchiloses*, illinc *Paralyses*, variique tumores, & ulcera illum, vix sex elapsis mensibus, lecto affigerent; qui tamen ab efficacia hujus medicamenti ita restitutus est, ut *pedetentim* moveri artus, tandemque quivis fere motus fieri, qui ex sano vegetoque corpore exerceri consueverat, excepto digitorum motu exquisito, qui numquam renovari potuerat.

Tandem addit, alium se observasse lue venerea adeò correptum, ut silicerni ad instar emaciatus videretur, & ulcus fœtidissimum in vesica urinaria foveret; ita quidem, ut vesicam perforans *ulcus* magno intervallo, intra intestinum ipsum *rectum* sese reconderet, continuosque crearet *tenesmos*. Urinam non reddebat nisi *cathetere* adjutus, quæ puriformis videbatur; sed *arthritis* simul venerea vehementer illum torserat, qui tandem laudata methodo, trimestri spatio ab hac omnium simptomatum syndrome emergens, & *lue*, & *arthritide* defunctus est.

L. Alibi etiam doctissimus Auctor de virtute singulari quorumdam medicamentorum loquens, testatur sequentia: ,, Mercurius sublimatus corrosi-

vus

„ vus ad grana ſex, vel ſeptem, cum libra una,
„ ſpiritus frumenti mixtus, maximoperé noſtris
„ ægrotis profuit; multitudo hominum ad curan-
„ dam luem veneream, aut gonorheam, aut cor-
„ neæ opacitatem, & oculi pterigium aut ad non-
„ nullas ſurditatis ſpecies, aut ad ulcera dyſſepu-
„ lotica crurum, ad ulcera labiorum, adeò ex-
„ edentia, ut frænum labii, naſi cartillagines cor-
„ ruperint, aliaque peſsima mala induxerint, ad
„ hoc remedium confugiebant: „ Ingentem cata-
logum hujuſmodi feliciſsimarum obſervationum edi-
dit; adeout anno 1759. uncias duas *Mercurii ſu-
blimati corroſivi* centum & trigintanovem ſpiritus
frumenti diſtribuerit. Anno etiam 1757. menſe
Septembris, verſanti adhuc mihi Vindobonæ non
paucos *ſiphilliticos* videre contigit perfectiſsimè
hac, quam dixi, methodo curatos; quorum adeò
hiſtorias, in uſus privatos utcumque exaratas, heic
adjicere conſultum viſum eſt.

OBSERVATIO PRIMA.

LI. HOmo quadragenarius robuſti tempera-
menti, poſt impurum coitum, ulcera
in glande habuit; cui adeò varia auxilia fuerunt
adhibita, prout morbi curatio poſtulabat, ut ſibi
ſanus eſſe videretur; ſed lapſo biennio, ophtalmia
frequens, necnon *ulcerum* caterva ſupervenit, quæ
circumſcripta, profunda, in ambitu calloſa, fau-
cium lacunar occupabant; acceſſerunt etiam dolo-
res gravativi, qui ægrum maximoperè vexabant,
nocturno præcipué tempore, & dum e lecto ſur-
geret. Huic ergo, poſtquam repetitas venæ ſectio-

nes, balnea æquæ dulcis, usum lactis asinini, ac remedia *mercurialia* usurpaverat, confugiendum erat ad illitiones mercuriales, tamquam ad sacram, ut ajunt, anchoram; quarum ope cùm tantisper mitigatus esse videretur morbus, (nam omnia simptomata remiserant) quia verò non extirpatus, (altioribus quippe radicibus hærebat virus) ideo factum est, ut langueret miserrimé, & de salute sua recuperanda animum despondens, hominum consortia fugere, solitudinem amare cœperit, quasi propediem moriturus. Quod verò nunquam sibi pollicebatur, in *Mercurio sublimato corrosivo* medelam tandem invenit; Nam vix assumpserat grana viginti hujusce præparati, libris tribus spiritus frumenti diluti, cum intra quadraginta dierum spatium salutem optatam integrè recuperaverit, quin ab hujusce medicamenti usu ullum incommodum persenserit.

OBSERVATIO SECUNDA.

LII. JUvenis vigintiquinque annorum ab impura venere, de *gonorhea virulenta*, ac bubonibus venereis unà conquerebatur; quibus fuit coactus confugere ad Medica auxilia; unde pluribus remediis, morbo forsan contrariis, a Chirurgo addictus, & fallacibus promissis lactatus, pristinæ se sanitati restitutum esse putabat, donec anno subsequente novi concubitus occasione, iterum apparuit gonorhea, non quidem sola, sed *gravi auditu*, necnon dolore artuum superiorum pessimè contaminata: hisce autem magnis simptomatibus phlebotimiâ iterata, emulsionbibus refri-

refrigerantibus; *illitionibus mercurialibus* in inguinibus, & in perineo inſtitutis; mercurialibus internis; necnon dieta lacteâ vulgari methodo occurrere Medici; ſed omnia incaſſum, imò nihilò proſperior fuit admota huic ſcopo *hydrargiroſis*, quam præterea miſerrimé tulit, permanente eadem dolorum artriticorum ſævitia, & obauditione moleſta, quæ demùm tertio ab invaſione menſe in veram, & omnimodam *ſurditatem* utriuſque auris degeneravit. Unde nullum commodum a ſolitis unguenti unctionibus expertus, conſuluit therrapejam *Sublimati corroſivi* ingredi. Aggreſsi ergo hanc methodum, præter omnium expectationem votis ceſſit fauſtus adeo remedii exitus, ut amotis *ſalivationis infortuniis*, ſartâ tectâque ſanitate fruatur.

OBSERVATIO TERTIA.

LIII. Viri in ætate conſiſtenti robuſti, ulceribus venereis ab ſcorto, quocum coierat, univerſus *glandis* ambitus obſitus erat, unde quamplurimis tritis, & uſu receptis medicamentis, ſcilicet ex phlebotomia, mercurialibus internis, ptiſanæ ſudorificæ, aliiſque id generis petitis uſus, intra quadraginta dies perfecta cicatrice obductis ulceribus, convaluiſſe videbatur. Sed vana ſpe; nam tertio vix menſe exacto, dolores capitis ingruere, crebræ ophtalmiæ, non abſque illius admiratione, qui ab omni luis ſuſpicione ſeſe credebat immunem. Quamvis autem ultimò memorata ſimptomata *de lue* teſtarentur, ulcera verò, quæ in faucibus apparuere, omne de eadem concepta *lue* dubium abſtulerunt: Qua de re præſcri-

ptæ

ptæ ei fuerunt venæ sectiones, balnea, lac, mercurialia interna; sed hæc omnia frustra; nam finita curatione, nihilo seciùs *ophtalmiæ* permanserunt, simulque *cephalalgia* infixi cujusdam clavi sensu affligebatur, planè ut de se jam actum, nulla recuperandæ ampliùs sanitatis, æger videretur. Verúm *Mercurii sublimati* ope, incantamenti ad instar, ad primævam sanitatem rediit, quin vel levissimam inde noxam, quam vulgó formidant, perceperit.

OBSERVATIO QUARTA.

LIV. MIlitem in trigesimo ætatis suæ anno constitutum ex impura venere *gonorhea virulentissima* adorta est, quæ non ritè tractata a Chirurgo, & immaturè suppressa, *luem veneream confirmatam* advocavit; imò post duos annos doloribus artuum inferiorum, ulceribus variis, profundis, callosis, per totum corpus dispersis obnoxius factus est. Accessit quoque tanta musculorum *flexoriorum tibiæ* rigiditas, ut quantumcumq. niteretur, prorsus tamen claudicaret; Huic ergo multa remediorum genera commendata sunt ab Italis, ut *illitiones mercuriales* bis repetitæ. Sed inde morbus nihil levabatur; unde post requisitam præparationem, *Mercurium sublimatum corrosivum*, cum eodem spiritu frumenti temperatum, cum sufficienti quantitate decocti hordei, per quadraginta dies successivè hausit. Applicabatur interim velut topicum ejusdem *Sublimati* dissolutio, in decursu curationis prædictis ulcerosis partibus, eo fine, ut margines ulcerum duræ eliquarentur, & ad perfectam cicatricem perducerentur: idem interea felix

lix eventus obſervatus, atque non ſine admiratione Medicorum, dolores quoque artuum evanuerunt, & ulcera ad cicatricem optatam devenerunt; tandem balneorum, ac leniſsimarum frictionum auxilio integræ ſanitati reſtitutus Æger, vix ullum prægreſſæ claudicationis veſtigium habet.

LV. Eodem anno, menſe Januarii *Chriſtianus Blaſche* Auſtriacus *Viennenſis*, in ſua Diſſertatione inangulari Medica, *de Virtute venenorum medicata*, poſtquam de Oppio doctiſsimè ediſſeruit, aliqua breviter *de Mercurio ſublimato corroſivo* adnectit; ipſumque tamquam verum antidotum tetræ hujuſce *Luis* conſiderat, & quatuor curationum mirabilium caſus refert, quorum primus ſequens eſt.

OBSERVATIO QUINTA.

LVI. „ HOmo vigintiſex annorum ab aliquot retrò annis ex impura venere „ ulcuſculúm in præputio contraxerat, quod variis „ remediis per menſem a Barbitonſore tractabatur, „ tandem applicato (ut ajebant) *unguento viridi* „ dolentiſsimo, malum ita exaſperabatur, ut latiús ſerperet ulcus, & totum præputium ita intumeſceret, omnemque glandem tegeret, ut „ urinæ excretio impediretur, ceſsit hoc malum „ fomento, quod ipſe Æger ex *Camomilla*, *Salvia* lacti incoctis, cum pauxillo *camphoræ* componebat, & deterſo quotidie ulcere, ab hoc malo liberari viſus eſt; Sed elapſis ſex menſibus, „ in ſcroto apparebat *furunculus* alter venereus, „ qui eodem fomento, referente Ægro, ſanatus „ eſt. Gliſcebat interea virus, & lento paſſu ad ingui-

„ guina ferebatur, quæ fœdis ulceribus obſidebat
„ adeò, ut utrumque inguen, pars pubis inferior,
„ cum dorſo penis, & ſcrotum ſinuoſis, & inter
„ ſe mutuò communicantibus fiſtulis deturparetur;
„ Ingemuit per tres circiter menſes ſub hoc ul-
„ ceroſo, & fœdo cruciatu, morbum ſolicité ce-
„ lans, metu jacturæ famæ perterritus, ſed auctis
„ quotidie doloribus, & ſerpente malo, rem ape-
„ rit Medico, conſtanter tamen negans, ſe cum
„ femina rem habuiſſe; nihilominus tamen *mercu-*
„ *rialibus* aliquoties purgatus eſt, & adhibitis ex-
„ ternè detergentibus cum aqua *phegedenica* mi-
„ tiori, apertiſque ſinubus trium menſium ſpatio,
„ conſolidatis ulceribus, ſanus eſſe videbatur.

„ Interim ſeminium contagioſum, relicta ſtatio-
„ ne inferiori, petiit ſuperiora; infectabat enim
„ poſt quatuor menſes caput, & fauces, cum *cæ-*
„ *phalalgia* nocturna, fere ad inſaniam uſque: Ad-
„ ſcripſit hunc morbum Æger tempeſtati pluvioſę
„ frigidæ; (erat enim menſis Decembris) hinc *flu-*
„ *xionem* eſſe credens, varia applicuit ſuffumigia,
„ quibus ſe effeciſſe putabat, ut dolores capitis a
„ ſua vehementia remitterent; recurrebant tamen
„ ſæpiùs dolores tum caput, tum omnes artus oc-
„ cupantes, jam intenſo, jam remiſſo gradu, at-
„ que id per univerſum prope annum, donec ſub-
„ ſequente menſe Novembris, ſedem ſuam altiùs,
„ & in capite, & in faucibus morbus figeret; ſæ-
„ viebat enim virus adeo, ut dolores capitis diur-
„ ni æquè, ac præcipuè nocturni, cum moleſtiſsi-
„ ma ſimul angina, miſerum per duos menſes in-
„ ter mille cruciatus in lectulo affligerent; appa-
„ rebat tandem in palato fornicato foramen, quod

ſen-

„ sensim ita dilatabatur, ut pollicem magnitudine
„ facilè æquaret; mutabatur tunc *vox* in incondi-
„ tam planè, & ingratam; Neque hic stetit mor-
„ bi atrocia, sed eóusque furebat, ut cùm in
„ emaciatissimo homine pinguedinem non inve-
„ niret, in membrana mucosa narium, eorumque
„ recessibus lateris potissimùm sinistri, figeretur.
„ Accessit tum adhuc id ad cumulum miseriarum,
„ ut obturatis a tumente membrana muccifera,
„ naribus, aerem per os tantùm duceret, audi-
„ tusque organon fere penitùs periret, & simul
„ tam fœtidum halitum, tantamque mephitim ore
„ emitteret, ut nemo, nisi e longinquo, illi lo-
„ qui vellet; quæ res miserum adeo perculit, ut
„ secum firmiter statuerit ab hominum consortio
„ fugere, & velle eòusque putrescere, atque ex-
„ edi, donec miserrimam mortem obiret. His
„ animi angoribus oppressus, amicorum suasu mu-
„ tato consilio, adivit amicum Illustrissimum *Van-*
„ *svieten*, qui, re intellecta, *spiritum frumenti*
„ *cum Sublimato corrosivo* illi porrexit, & quoti-
„ die manè *unum cochlear* sumeret, injungens.
„ Paruit Æger, & quatuordecim dierum usu id
„ effectum est, ut unum os spongiosum inferius
„ caderet, & foramen in palato ad pisi minoris
„ magnitudinem concresceret. Excidebant sic sen-
„ sim plura ossicula hinc inde carie exesa; ince-
„ pit tum liberiùs respirare per nares, & fœtor
„ aliquantùm remisit; plurima tamen morbi vis hæ-
„ rebat adhuc in *sinu maxillari* sinistro, ejusque
„ osse, quod in tophum elevari videbatur, do-
„ lorque in hoc latere continuus aderat; destrue-
„ batur lamella media inter sinum, & alveolos

N den-

„ dentium; unde factum eſt, ut ſeries dentium
„ maxillæ ſuperioris ſiniſtræ retrocederet, denteſ-
„ que ejuſdem lateris breviores redderentur, unuſ-
„ que jam antea carioſus caderet; poterat per
„ hunc alveolum perforatum facilè ſtylus in ſinum
„ uſque deduci, multumque inde ſaniei fœtidiſ-
„ ſimæ perdiu effluxerat.

„ Dum hæc fiebant, foramen in palato, quod
„ jam ad concretionem tendebat, rurſus amplia-
„ batur, & novum ulcus in maxillæ dexteræ parte
„ externa naſcebatur, quod diu conſolidationem
„ renuebat. Tandem ſic poſt quindecim menſium
„ ſpatium *Sublimati corroſivi* ope ſanitati reſtitu-
„ tus eſt, & jam a biennio ſine ullo dolore inco-
„ lumis valet; niſi quod vocem mutatam habeat,
„ & laminam argenteam foramen illud palati clau-
„ dentem gerat. Hunc ergo morbum venereum,
„ qui tam diu huic corpori inhæſit, & ipſa jam
„ oſſa occupaverat, ſine ulla *ſalivatione*, aut fluxu
„ alvi, aut alia excretione, (niſi quod Æger quan-
„ doque in lecto ſe diutiùs continens aliquantum
„ ſudaret) *Mercurii ſublimati corroſivi* efficacia
„ mitigavit, abſtulit, ſanavit. „

Refert etiam laudatus Auctor, plures tales ægros cum palato perforato ſolo hoc remedio ſanatos vidiſſe, quorum omnium morborum hiſtoriam deſcribere longum heic foret; Scribit etiam de quodam Juvene ita lue affecto, ut palatum exeſum maximoperè haberet; itaut vix loqui poſſet, qui licèt ſalivationem paſſus fuerit, hujus remedii ope jam ſenſim ſanabatur.

OBSER-

OBSERVATIO SEXTA.

LVII. „ VIr quadragenarius diu arthritide „ venerea molestissima afflictus salivationem ad eradicandum hoc malum in auxilium adhibuit, sed licét crudelem hanc curam (at, ut videtur, non eò usque, quò debuisset) subierit, mitigatus quidem erat morbus, nec tamen penitùs extirpatus; paulò enim post, iisdem, quibus ante, doloribus cruciabatur; quinimò noctu adeo fiebant violenti, ut vix ullus esset artus, qui non violentissimé doleret: molestæ simul aderant artuum contractiones, ut Æger sibi ab horrendis convulsionibus metueret, & in tibia pedis sinistri jamjam tophus formari cœperit. Auxilium quæsitum est a *Sublimato corrosivo* cum spiritu frumenti, cujus Æger quotidie bis unum cochlear sumebat, & intra breve temporis spatium integré ab hoc morbo liberatus est; adhibitis dein thermis *Baadensibus* ad roboranda, ut ajebat, membra, jam sanissimus vivit. Id autem in usu hujus remedii huic Ægro contigit, ut per aliquot dies quotidie ter, quaterve sine ulla molestia purgaretur. „

OBSERVATIO SEPTIMA.

LVIII. „ COntagiosa veneris labes in viro „ triginta circiter annos nato in superficie externa corporis radices suas fixerat, itaut tota totius ferè corporis cutis elatis, tentis, & dolentibus tuberculis obsideretur, plurimisque ulceribus excoriata deturpati corporis fę-

„ dam præberet faciem; traxerat ulcerosum hoc
„ *corium* Æger per longius tempus, donec mole-
„ stissimo morbo victus, auxilium peteret; invenit
„ hoc in *Mercurio corrosivo sublimato*, quo vix
„ per tres septimanas hausto, jam magnus ille
„ ulcerum numerus ad pauca redactus est; itaut
„ intra quadraginta dies vix ullum ulcusculum am-
„ pliùs conspiceretur, cúm e contra priùs latio-
„ ribus etiam plagis corpus depascerent.

OBSERVATIO OCTAVA.

LIX. „ Miles, cui venereum virus humori-
„ bus oculi inhærens primo corneæ
„ opacitatem, dein albuginem induxit, imò malum
„ sensim auctum acrimonia sua coneam in ulcu-
„ scula minutissima sensim latiora eroserat; unde
„ ophthalmia ulcerosa in utroque oculo visum ab-
„ stulit; cujus tamen *Mercurii sublimati* usu al-
„ ter oculus penitùs jam restitutus est; in altero
„ verò malum ita mitigatum est, ut vix unum,
„ alterumve ulcusculum adhuc supersit, quod qui-
„ dem, etiam si visum non abstulit, objecti ta-
„ men videndi accuratam distinctionem aliquantum
„ adhuc impedit, ulteriori Mercurii hujus usu, ut
„ apparet, ex integro emendandum.

Adsunt etiam similium curationum Mercurio su-
blimato absolutarum exempla apud *Joannem Bona*,
quæ ad majorem confirmationem, & ut Asserti no-
stri veritas magis elucescat, hîc adnectere operæ
pretium existimavimus, quorum primum sequens
est.

OBSER-

OBSERVATIO NONA.

LX. „ NObilis Juvenis calida, & humida
„ corporis natura præditus, post vi-
„ rulentam *gonorrheam*, quæ rectè curata fuerat,
„ quoniam sæpiùs cúm impuris mulieribus rem ha-
„ buisset, ei verucæ, & exigua ulcera in glande
„ orta sunt. Hæc quoque curata sunt, sed virus
„ non omnino sublatum. Cùm hæreditario hemor-
„ roidum fluxu laboraret, cœpit eodem copiosio-
„ re affici, itaut in malum corporis habitum inci-
„ derit, cum non levi jecoris, & lienis obstru-
„ ctione. Accedebat subinde febricula cum seroso
„ alvi fluxu plures dies perseverante. Ex his ma-
„ lis omnibus vires ita protritæ sunt, ut brevi
„ etiam, & lentæ ambulationi minimè sufficerent.
„ Medicamenta adhibita sunt multa, eaque ex va-
„ lentioribus. Quæ cùm non satis profecissent, in
„ eam opinionem venimus, morbum a latente lue
„ venerea foveri, cujus quædam apparebant non
„ prorsus obscura signa. Nam & capilli magna ex
„ parte fluxerant, & latæ, croceæque maculæ, æsti-
„ vo præsertim tempore, in summa cute efflore-
„ scebant, & in glande rubræ prurientesque pu-
„ stulæ oriebantur, quæ tamen citò per se evane-
„ scebant. Itaque *sublimato Mercurio* Ægrum cu-
„ rare statuimus. Hujus granum unum in duabus
„ vini spiritus unciis solutum est, eaque spiritus
„ quantitas in sex portiones divisa, quarum duas
„ quotidie, alteram mané, alteram vesperi Æger
„ sumpsit. Sex diebus elapsis, duæ vini spiritus
„ unciæ cum uno Sublimati grano in quatuor tan-
„ tùm portiones divisæ sunt, intra duos dies su-

men-

„ mendas. Semper autem ſtatim a medicamento
„ tres libras potavit decoctionis ex hordeo, atque
„ *altheæ* radice. Effectus medicamenti fuit ejuſ-
„ modi: ut primis diebus alvus, quæ antea liquida
„ erat, coacta fuerit, & urina copioſior fluxerit
„ cum ardoris ſenſu. Præterea levis quidam *oſteo-
„ copus dolor* in humeris, & tibiis perſentiri cœ-
„ pit, qui antea nunquam moleſtus fuerat. Unde-
„ cimo die *ſublimati* doſis iterum aucta eſt; Nam
„ granum in duabus vini ſpiritus unciis ſolutum in
„ tres diſpertiebatur doſes, ex quibus duæ quoti-
„ die datæ ſunt, altera manè, veſperi altera. Hoc
„ modo curatio in quinquageſimum uſque diem
„ producta eſt. Ex hac adaucta Sublimati doſi, pri-
„ mis quidem diebus, alvus ſæpiùs quotidie cum
„ dolore mota eſt, ſimulque ſanguis ex hemorroi-
„ dalium vaſorum oſculis copioſior effluxit; ita ta-
„ men, ut Æger hæc optimè ferret. Procedente
„ tempore, alvus aliquantulum ſubſtitit, ſed ta-
„ men quotidie liquida ſine dolore deſcendit, he-
„ morroidum fluxus imminutus eſt, ac tandem pro
„ ſanguine tenuis tantùm lympha exivit, doloreſ-
„ que, qui in ea parte ſatis graves erant, planè
„ ceſſarunt. Urina ſemper copioſa profluxit. Sub
„ finem curationis quædam exiguæ puſtulæ in glan-
„ de ortæ ſunt, ſed brevi ſponte deceſſerunt. Vi-
„ vidus faciei color, vireſque auctæ in dies, ſana-
„ tionis ſpem jam antea fecerant, noviſsimè æger
„ ſe rectè habere teſtatus eſt. Cibus ex hordeo, &
„ vitulina fuit carne, potio copioſa aquæ, in qua
„ hordeum coquebat cum altheæ radice. Cœna
„ parca conceſſa eſt. Primo curationis tempore le-
„ cto ſe continuit Æger, poſtea lectum reliquit;
„ ſed e domo non exivit, niſi curatione abſoluta.

„ Paucis poſt diebus aquas *vitriolico-martiales* po-
„ tavit eo ſucceſſu, ut in priſtinam ſalutem reſti-
„ tutus fuerit. „

COROLLARIA.

I. „ PRimis curationis diebus dolores quidam
„ *oſteocopi* in humeris, & tibiis excitati
„ ſunt, quos Æger antea non ſenſerat. Cujus rei
„ ea fortaſſe cauſa aſsignari poteſt, quod ſtagnan-
„ tem iis in locis humorem oſtenderit remedium,
„ ad cujus diſcuſsionem ſolidorum fibras magis
„ quàm alibi ſtimulando diſtraxerit. Ex quo dolor.

II. „ Illud animadverſione dignum eſt: cúm an-
„ tea propter magnam, quæ in ſtomachi, atque
„ inteſtinorum fibris erat, laxitatem, atque debi-
„ litatem, alvus liquida deſcenderet, primis die-
„ bus ab incœpto remedii uſu coactam fuiſſe. Num
„ id ad ſtypticam, & corroborantem remedii fa-
„ cultatem referendum eſt. Itaut effectus deinde
„ mutatus fuerit, ſolutis a medicamento humori-
„ bus, hujuſque acritate prævalente etiam prop-
„ ter adauctam doſim?

OBSERVATIO DECIMA.

LXI. „ ALium quoque Nobilem Juvenem bi-
„ lioſi temperamenti, qui ex venerea
„ *lue*, vago *oſteocopo* dolore torquebatur, præſer-
„ tim in pectore, cum recurrenti ſpirandi difficul-
„ tate, hoc remedii genere eodem fermè tempo-
„ re curavi, nempe ad idus Maji anni ſuperioris.
„ Unum Sublimati granum in duabus vini ſpiritus
„ unciis liquatum, atque ſex portionibus diviſum,
„ ex quibus duas quotidie ſumpſit, manè ſcilicet,
„ & veſperi, cum liberali potione decoctionis ex
„ hordeo. Primùm dolor acutus, ſed cùm quarto
die.

„ die alvus ſoluta fuerit, & poſtea urina copioſa
„ profluxerit, ſenſim minor factus eſt. Poſt quar-
„ tum decimum diem eadem ſublimati quantitas,
„ in quatuor portiones diviſa fuit biduo ſumen-
„ das, ex quo alvus iterum ſoluta eſt. Humida,
„ & frigida tempeſtas, quæ dein ſucceſsit dolo-
„ rem, & ſpiritus difficultatem exaſperavit; Ta-
„ men ad vigeſimum diem ſublimati largior doſis
„ data eſt, & granum unum in tres portiones di-
„ viſum. Vigeſimo quarto die alvus copioſe de-
„ jecit, neque tamen ſimptomata levata ſunt.
„ Triginta diebus exactis dimidiam grani partem
„ potavit manè, itemque veſperi, & quotidie po-
„ ſtea eodem modo. Hæc doſis, & ſereni dies
„ meliorem ſpem attulerunt: Nàm cum venter
„ copioſus, & ſæpiùs moveretur, urinaque largius
„ flueret, mala quoque mitiora facta ſunt, itaut
„ tolerabilis dolor in uno tantum latere ſupereſ-
„ ſet. Intereà per Urbem vagare cœpit æger, &
„ rus petiit, tùmque propter Cœli, & tempeſta-
„ tis mutationem pejus habuit. Brevi in Urbem
„ reverſus eſt, & Cælo calidiori facto, ſudor eru-
„ pit magno profectu. Quia caloris ſenſus cum fe-
„ bricula moleſtus erat, liberalis ideo ſyruppi ex
„ violis quantitas vini ſpiritui adjecta eſt. Hac
„ ratione ad finem uſque menſis Junii pervenit;
„ Remedioque amplius uti abnuit, cum aliquis a-
„ dhuc doloris ſenſus in pectore perſiſteret, qui
„ tamen levi ex unguento mercuriali frictione do-
„ lenti parti adhibita ſublatus eſt. Itaque æger
„ perfectè convaluit. Victus ratio eadem fuit,
„ quæ in ſuperiori caſu.

COROL-

COROLLARIA.

I. „ CUM ex hujus remedii uſu dolores, qui „ antea non erant, concitari obſervatum ſit, (Obſervatio Eger. 9. Coroll. I.) non „ eſt mirum, eos exacerbatos, qui aderant, eadem nimirum de cauſa.

II. „ EX quo docemur, non ideo deſperandum „ eſſe de curatione, ſi profectus non ſtatim appareat, aut ſi morbus potiùs increſcere „ videatur; ſed patientiâ, & longo remedii uſu „ opus eſſe. Neque ad debitum tempus remedio uſus eſt hic æger; cùm tandiù eo utendum „ ſit, (*a*) quamdiù aliquid de luis ſimptomatibus „ ſupereſt.

III. „ ILlud quoque ex hac hiſtoria apparet, Cœli, & tempeſtatis varietatem non „ parùm poſſe ad effectuum hujùſce medicamenti „ diverſitatem inducendam.

OBSERVATIO UNDECIMA.

LXII. „ TErtius, cui hæc eodem tempore „ adhibita eſt medicina, Nobilis item „ fuit juvenis, qui diram luem ex impura venere „ contraxerat, cum faucium ulceribus, quibus ſanatis, puſtulæ in fronte cum dolore ortæ ſunt,

O acrem

(a) *Vvan-ſvieten Malaties des armeès p. m. Antonius de Haen Ratio medendi part.* III. *de virtut. ſingulari quorumdam medicament.*

„ acrem liquorem fundentes, quæ medium quo-
„ que dexteræ manus digitum occuparunt circa
„ ofsiculi primæ cum secunda, phalangæ articula-
„ tionem, cum insigni tumore, ac dolore, itaut
„ complicari non possèt. Accesit stomachi angor,
„ & spiritus difficultas. Initium captum est ab exi-
„ gua Sublimati dosi, ut ei sexta tantùm grani
„ pars bis quotidie daretur, manè, & vesperi; sed
„ paulatim ascendendo, tandem eò pervenit, ut
„ granum unum cum dimidio quotidie sumpserit,
„ & vini spiritu liquatum, & in duas portiones di-
„ visum; adjecta quoque copiosa potio ex hordei
„ decocto, eademque, quæ in aliis, victus ratio
„ servata est.

„ Huic ægro protinus inter initia copiosè sudor
„ effluxit; itemque urina sine ullo labore. Decimo
„ die alvus solutior, ex quo sudor repressus est,
„ qui statim rediit, quòd alvus per se suppressa,
„ neque postea reliquo curationis tempore turbata
„ fuerit. Inter hæc ex frontis pustulis *liquor* fœ-
„ tens exibat, & squammæ quædam demitteban-
„ tur; sed aliæ oriebantur; quod & in digito con-
„ tigisse observatum est; cujus tamen dolor ac tu-
„ mor imminuebatur sensim, motusque expeditior
„ erat. Secundo & vigesimo die pustulæ in totum
„ exsiccatæ sunt, ex quibus quædam tantùm stig-
„ mata relicta. Sudor ad quadragesimum usque
„ diem emanavit. Stomachi angor evanuit, item-
„ que spiritus difficultas. Vires constabant. Quæ-
„ dam tamen pustulæ subinde nascebantur, quas
„ mercuriale unguentum affectæ corporis parti il-
„ litum sustulit. Jam Æger e cubiculo exire, atque
„ ipsa e domo cœpit, cautè tamen; curationeque

in

„ in ſexageſimum diem producta, ſe ſanatum putavit. Procedente tempore rurſus quædam puſtulæ identidem in fronte eruperunt: cæterùm hactenùs bene ſe habet. Quod adnotare æquum erat.

COROLLARIA.

I. „ VIs hujus remedii, qua excretiones promovet, pro varia Ægroti temperie variè determinanda apparet ex hac hiſtoria. Nam alvus ſemel tantùm mota eſt; copioſus autem ſudor diù manavit, & urina largiùs profluxit.

II. „ USum remedii fuiſſe fortaſſe breviorem, quàm opus erat. Quamquam enim ſecunda valetudine frui videatur adhuc nobilis Juvenis, locus tamen relinquitur dubitationi, num renaſcentium ſubinde puſtularum cauſa quibuſdam luis reliquiis inhæreat.

OBSERVATIO DUODECIMA.

LXIII. „ MUlto breviori temporis ſpatio curatio facta eſt Aurigæ cujuſdam annorum viginti, & ſanguinei temperamenti, plenique babitus, cui ex venerea contagione tumor in inguine ortus, neque rectè curatus, & a quinque retro menſibus adhuc apertus dolores arthriticos rehumaticos intulerat, maximè in artubus ſuperioribus, atque intercoſtalibus muſculis, cum ſumma reſpirandi difficultate. Sublimati granum in duabus vini ſpiritus unciis ſolutum ea ratione præſcriptum fuerat, ut

 ejus

„ ejus quartam partem bis quotidie ſumeret, cum
„ larga potione decoctionis ex hordeo. Sed primo
„ ſtatim die integram tertiam partem manè de-
„ glutivit incautus. Ex quo nimis copioſa dejectio
„ ſecuta eſt cum magnis ventris doloribus, qui la-
„ cte liberaliter epoto ſublati ſunt. Remedium ad
„ ſequentem diem dilatum eſt, quo tertia denuò
„ grani pars ſumpta eſt, neſcio quo errore; cùm
„ rurſus dejectio, & dolores orti ſunt, ſimulque
„ ſudor effluxit; atque ille idem quoque dolor
„ exaſperatus eſt, quo artus priùs torquebantur.
„ Quæ omnia tamen paulatim ceſſarunt.

„ Poſtero die major cautio adhibita eſt, & quar-
„ ta tantùm grani pars ſumpta, & ſtatim poſtea
„ decoctio hordei copiosè epota, cum quarta la-
„ ctis parte commixta. Itaque medicamenti vio-
„ lentia ita mitigata eſt, ut ſudor, & parca alvi
„ egeſtio ſine dolore ſuccederet, totoque curatio-
„ nis ſpatio perſiſteret. Tamen parva ſimul ſaliva-
„ lium glandularum tumefactio, cum levi dolore,
„ & ſputamine aliquo orta eſt; quæ phenomena
„ citiſsimè deceſſerunt. Inter hæc morbus levari
„ viſus eſt, ut Sublimati doſim non eſſe augendam
„ judicaverim. Quarto die ſupra vigeſimum, cùm
„ jam inguinis tumor cum ulcere ſponte ſanatus
„ eſſet, Æger ſe ex toto reſtitutum ratus, ulte-
„ riorem curationem rejecit.

COROLLARIA.

I. „ HUic ægro, paulò ante quàm curatio-
„ nis initium feciſſem, ſanguis inciſa
„ venâ miſſus eſt. Num hac de cauſa expedito
ſangui-

„ ſanguinis circuitu, ejuſque craſsitie non nihil at-
„ tenuata, tam promptæ excretiones contigerunt,
„ tamque citum ſimptomatum levamen ?

II. „ Sputum illud, quod motum eſſe vide-
„ batur, nullius momenti fuit. Nam re-
„ medii uſu procedente, non ſolùm non auctum
„ eſt, ſed protinus planè ceſſavit.

OBSERVATIO DECIMATERTIA.

LXIV. „ NON multò poſt curatio adhibita
„ eſt egregio cuidam Adoleſcenti
„ calida & ſicca corporis naturâ. Gonorheam ille
„ ſæpiùs contraxerat ex impuro concubitu; tum
„ glandis ulcera. His malis omnibus jampridem
„ ſublatis, adhuc ſupererat moleſta prurigo in ure-
„ tra, & ardoris ſenſus in reddenda urina; parva
„ quoque ulcera idemtidem in glande naſcebantur,
„ ſine nova contagione. Proceſſu temporis duo
„ tumores in inguine orti ſunt, utrinque alter ad
„ magnitudinem nucis juglandis cum dolore, qui
„ acrior erat inceſſu. Ex quibus omnibus *inteſtinæ*
„ *luis* conjectura facta eſt. Ordo curationis fuit
„ hujuſmodi.

„ Uno Sublimati grano ex tribus aquæ unciis
„ hauſto ſexta aquæ illius pars manè, itemque ve-
„ ſperi dabatur in nonum diem, potione omiſſa
„ decoctionis ex hordeo. At primùm alvi dejectio
„ eſt conſequuta cum levi dolore; deinde ſudor
„ copioſiſsimus; cum hoc larga urina. Simul febri-
„ cula invaſit Ægrum, & capitis dolor, qui horâ
„ demùm quinta a medicamento ceſſabat, atque
ille

„ ille increſcebat, quem jam antea bubones affe-
„ rebant. Sed nihil fuit moleſtius, quàm ingens
„ ſitis. Quare modum quidem Sublimati ita auxi,
„ ut ille ad quartam grani partem bis quotidie
„ ſumeret: ſed juſsi, ut aliquantulum ſyrupi vio-
„ larum cum eo miſceretur, & poſt aſſumptum
„ medicamentum libram unam biberet decoctionis
„ ex hordeo. Hinc ſudor cohibitus, & rurſus al-
„ vus ad aliquot dies, ſine dolore tamen, ſoluta
„ eſt. Febris, capitis dolor, ſitis deſierant, cúm
„ iterum Sublimati doſis aucta eſt, ut tertia da-
„ retur grani pars bis ſingulis diebus. Ex quo ta-
„ men neque venter motus eſt, neque ſudor, ne-
„ que urina; atque ita huic medicamento aſſueve-
„ rat, ut interdum illud etiam ſine adjecto ſyru-
„ po ex violis, ſine potione decoctionis ex hor-
„ deo ſumeret, quin ulla moleſtia ſubſequeretur.
„ Quo cùm ille ampliùs duos menſes uſus eſſet,
„ & nihil præter cibum, quem lenem, ac tenuem
„ ac levem ſumebat, ex reliqua victus conſue-
„ tudine mutaſſet; inguinis tumoribus prorſus di-
„ ſcuſsis, cæteriſque malis depulſis, priſtinam ſa-
„ nitatem recuperavit.

COROLLARIA.

I. „ FEbris, ſitis, dolor capitis ad hujuſce
„ medicamenti effectus pertinent, quod
„ periculi faciendi cauſa, ſine adjecto ſyrupo ex
„ violis, ſine ſubſequenti potione primis quidem
„ diebus datum eſt, ſed exigua doſi. Procedente
„ curatione, hoc modo interdum propinatum eſt
„ etiam majori doſi; tamen neque febris, neque
capi-

„ capitis dolor, neque ſitis rediit, neque damnum
„ ullum illatum eſt. Quantò igitur minus ab eo
„ timendum eſt, cùm ejus violentia tot modis, ut
„ diximus, coerceatur?

II. „ Oſtendit hæc Obſervatio, non minùs
„ utile hoc medicamentum eſſe ex a-
„ qua, quàm ex vini ſpiritu epotum. Et ideo hæc
„ methodus teneri poſsit, ſi alteram aliqua de cau-
„ ſa interdum minùs aptam cenſuerimus debellan-
„ dæ lui.

OBSERVATIO DECIMAQUARTA.

LXV. „ AT curatio cujuſdam Piſcatoris an-
„ norum circiter quadraginta, ſic-
„ ca & calida corporis natura præditi incœpta eſt
„ menſe Auguſto ejuſdem ſuperioris anni. Ille
„ dira venerea lue laborabat, quæ neque inunctio-
„ ne mercuriali iterum atque tertiò facta, neque
„ poſtea decoctis, quæ huic morbo adverſa ſunt,
„ ſanari potuerat. Symptomata præcipua hæc e-
„ rant. Ulcus peſsimum in ſiniſtro crure, tophi-
„ que in eodem genu; hinc crus extendi non po-
„ terat, & Æger claudicabat. Pone aurem quo-
„ que ſiniſtram ulcus erat magnum, & ſordidum.
„ Igitur Sublimatum eadem methodo datum eſt,
„ in vini ſcilicet ſpiritu ſolutum, adjecta portio-
„ ne decoctionis ex hordeo; incipiendo a ſexta
„ grani parte. In ſextum uſque diem nullam per-
„ ſenſit mutationem, præter copioſam urinam co-
„ pioſæ potioni reſpondentem. Sublimati doſis ita
„ aucta eſt, ut pars grani tertia ſumeretur; ex
quo

„ quo alvus aliquantùm mota eſt, & ſudor noctu
„ manare cœpit. Simul gravis corporis æſtus ægrū
„ afflixit cum brevibus, ſed vehementibus nervo-
„ rum concuſsionibus: ideo malui unum Sublimati
„ granum in dimidia aquæ uncia liquari, integra
„ adjecta ſyrupi violacei unciâ exhibere. Itaque
„ æſtus, & nervorum concuſsiones ceſſarunt, ſu-
„ dore, & copioſa urina profluente. Sumpſit au-
„ tem exinde quotidie manè medium granum, tan-
„ tumdemque veſperi. Circa vigeſimum diem, om-
„ nibus admirantibus, ulceri illi, quod erat pone
„ aurem, cicatrix inducta eſt, & crus moveri cœ-
„ pit. Procedente tempore Æger meliùs atque
„ meliús ambulavit, & ſcalas quoque aſcendit, quod
„ antea non poterat. Exacto ſecundo curationis
„ menſe, granum unum cum dimidio quotidie da-
„ tum eſt in duas portiones diviſum, alteram ma-
„ nè, alteram veſperi ſumendam. Tophi ſublati,
„ cruris ulcus ſanatum, & in totum ſanitas reſti-
„ tuta eſt, ſic tamen, ut nondum crus perfectè ex-
„ tendi poſſet. Tribus menſibus uſus eſt remedio,
„ eademque victus ratione, qua cæteri ægroti.

COROLLARIA.

I. „ HUic Ægro, qui ſicca, & calida corpo-
„ ris erat natura, Sublimatum ex aqua
„ meliùs ceſsiſſe, quám ex vini ſpiritu perſpicuum
„ eſt.

II. „ NOnne valentius, utiliuſque fuit hoc
„ remedium, quàm inunctio cum mer-
„ curiali unguento, & decocto? ipſe oſtendit even-
„ tus.

III.

LXV. „ Quod si expedita cruris extensio non „ sit consecuta, non est ideo reme- „ dium accusandum. Læsa enim for- „ tasse fuit in genu articuli fabrica a tophis illis, „ aut contumax cruris complicatio fecit, ut nunc „ membrum penitùs extendi non possit, ut an- „ cilosis fieri comperitur, ubi ossibus fractis mem- „ brum nimis diu sine motu continetur.

OBSERVATIO DECIMAQUINTA.

LXVI. „ IN idem fere tempus incidit cura- „ tio nobilis cujusdam Juvenis anno- „ rum triginta, sanguinei, & melancholici tem- „ peramenti, qui jam primùm phologosi quadam „ gingivarum cum gravi dolore afficiebatur, qui- „ bus mœror, & tristitia accedebat. Itaque mor- „ bus Hipocondriaco-Scorbuticus videbatur. Præ- „ ceptum est, ut sero lactis depurato commixto „ cum succis aliquot earum herbarum, quæ valent „ contra eum morbum, uteretur; tum decoctis „ diluentibus, attenuantibus, atque dulcificantibus. „ His omnibus longo adeo tempore adhibitis, non „ meliùs se habere visus est Æger, quin herpeti- „ cum ulcus totam ejus genam occupavit, usque „ ad partem oris posteriorem. Optimis remediis „ non proficientibus, cùm multos ante annos vi- „ rulentam gonorheam passus esset, suspicari cœ- „ pi, morbum a latente venerea lue foveri, ex mo- „ nitu Celeberrimi *Astrucii*. Ideo cùm alio quoque „ Medico *Carolo Terzi*, homini docto, idem vi- „ sum fuisset, curatio incepta est cum Sublimato „ ex aqua liquato, & syrupo violaceo adjecto, cum

„ potione decoctionis hordeaceæ. Primis diebus
„ cùm sexta grani pars manè, itemque vesperi in-
„ tùs sumeretur, nulla mutatio facta est. Deinde
„ aucta dosi ad quartam grani partem, alvus ali-
„ quantùm soluta est, larga quoque urina profluen-
„ te. Tandem dimidium granum manè, dimidium-
„ que vesperi datum est singulis diebus, usque
„ ad finem tertii mensis, urina plerumque copiosa
„ exeunte. Quo tempore symptomatibus omnibus
„ sublatis, curatio absoluta est. Primis diebus sa-
„ liva nonnihil copiosa ferri visa est, sed sine o-
„ ris interni intumescentia, & dolore; brevique
„ sponte cessavit.

COROLLARIUM.

I. „ Conjectura nostra, sive vera fuit, mor-
„ bum illum venereæ luis sobolem fuis-
„ se, sive nos fefellit; illud certum est, sanita-
„ tem Ægrum recuperasse; quod eó magis mi-
„ randum est, quia mercurialia fere noxia depræ-
„ henduntur in iis, qui *affectione Scorbutica* ten-
„ tantur. Valet autem hoc remedium, ut ex ipsis
„ quoque Clarissimi *Suvitenii* Epistolis manife-
„ stum est, adversùs alios morbos, præter vene-
„ ream luem. Quod ex sequenti Observatione non-
„ nihil confirmari potest, quæ ex eodem *Bona* ex-
„ cerpta est.

OBSERVATIO DECIMASEXTA.

LXVII. „ NAM Vir annorum quadraginta
„ sanguinei temperamenti, & bi-
liosi,

„ liosi, frigore post corporis incalescentiam suscepto, cum doloribus *Arthritico-Rheumaticis* „ per omnia membra, & febri correptus, neque „ *Boerhavii* methodo antiphlogistica, neque postea decocto ex *Sarsę* radice Cin, & herbis temperatis anti-scorbuticis convaluisset; sub finem „ mensis Octobris elapsi anni curari cœpit Sublimato corrodente ad eumdem, ut supra, modum „ dato. Cujus effectus quadraginta dierum spatio „ fuit copiosus urinæ fluxus. Quibus diebus exactis, prorsùs sanatus est, cum a tribus antea „ mensibus lecto affixus, ne se movere quidem „ posset. Hic quoque æger, & qui proximè descriptus est, eamdem, qua cæteri, victus rationem adhibuit.

COROLLARIUM.

I. „ ITaque ex his omnibus concludi potest, „ hoc remedii genus in alios quoque morbos valere; quod pluribus exemplis comprobare „ possem; ut Rustici cujusdam, qui duro abdominis tumore, cum malo corporis habitu premebatur, quem unus ex meis Discipulis sanitati restituit, inquit *Joannes Bona*; & Asthmaticæ item „ mulieris, quæ ab incipiente jam hydrope, hujus remedii ope, copiosa urinâ promota, liberata est. „ Verùm quæ hactenus exposui, mihi nunc satis superque, meo cosilio, videntur satisfacere.

Ex quo sub Celebris *Joannis Bonæ* auspiciis usurpari cœpit Veronæ liberè Sublimatus corrosivus; Quamplures apud Italos in Arte egregios fuisse viros

ros lego, qui huic insistentes methodo, Sublimatum nostrum tutò, & efficaciter in morbis non modò venereis, sed in aliis diversis a lue adhibuerint, inter quos numerantur *Internarii*, *Bacchetti*, *Martelli*, *Bassanj*, cui postremo Auctori quid acciderit, non incongruum erit heic exponere, imprimis cúm illud ipsum mihi accidisse meminerim.

Namque ille Equitem Gallum curaturus, nomine *Diell*, gravi pectoris oppresione decumbentem, Sublimati corrosivi usum, aliàs in similibus morbis a se expertum, ut ipse fatetur, (*a*) ingredi constituit, & defacto jam Sublimatum præscripserat: cùm Æger morbo potiùs confectus, quàm vix a Sublimato nostro læsus mortem occubuit; varia interim dictante probra Doctore *Bonelli*, qui temerè & *Bassano* imperitiæ, & remedio infamiæ notam inussit; [*b*] nec levioribus probris, ac invidorum salibus meam adhibendi hujusce Sublimati rationem exposuit supinus quidam Pharmacopola, dum non solùm me inconsulto, sed longiùs profecto, dum ignarus & præparationis, & electionis, & doseos, & quorumcumque ad rectam administrationem hujusce nostri Antivenerei pertinent, Mulieri cuidam ausus est ingerere; hinc convulsionibus ex illo tempore obnoxia fertur, quod an verum sit, fides Medico referenti [qui & Danaus est] adhiberi potest; cúm ipse nec ipsam viderim umquam, nec inaudiverim hisce convulsionibus laborare.

Quidquid autem sit, mihi equidem semper persua-

(a) *Dimostrazione Apologetica &c. p. m. 39. num. 39.* (b) *Ibid. pag. 7.*

ſuaſum eſt, quin & idem omnes in Arte bonos ſentire non dubito: Quidquid remedii in Artem Medicam, experientia autem duce, in Ægrorum commodum uſquam illatum eſt, aut infertur umquam, ſi modò novum ſit multorum contradictionem invenire, & omnibus fere Medicis, qui antiquitatem ſequuntur, damnari. Verum quidem eſt, id pleriſque circumforaneis uſuvenire, ut e ſuggeſtu ſua arcana jactantes, ſtupore vulgi nimis creduli multos decipiant, præſertim incautos. At dedecet ſemper candidos Medicos, & ſinceri Hipocratis Sectatores pudebit ſemper, ſolius lucri faciendi gratia, ſiquid novi in Praxi Medica, & utiliſsimi compererint id ipſum celare. (*a*) Planè ut eò redeam, unde digreſſus ſum; *Baſſanus* omni culpa vacare videtur, ſi hujuſce Sublimati ſolutionem jam quotidiano uſu exploratam in illa prædicta Curatione adhibuerit; & quod inde ſequitur, nulla non culpa vacare *Bonelli*, qui invidia fere percitus, atque Baſſano perperam oblocutus, cautum adeò remedium temerè proſcripſerit. Sed ut verum fatear, quamquam a Baſſano in Sublimati adminiſtratione nihil peccatum eſſe videatur, potuit ſané tutiorem viam inſiſtere, atque cavere in illa oppreſsione pectoris, ſævis adeò ſimptomatibus ſtipata a præſcriptione hujuſce remedii, ne quod ſaluti pluribus ægrotantibus fuit, lividè infamaretur.

LXVIII. Hactenùs Illuſtriſsimus *Gerardus Vanſvieten* hujus remedii efficaciam, fultus ſuis experimentis, Medicis quamplurimis Pariſienſibus commenda-

(a) *Joann. de Gorter tract. 55. de Medicamentis.*

mendavit; unde id ipsum Lutetiæ usurpari cœptum est in plurimis morbis venereis desperatis, licèt vulgari illitionum mercurialium therrapeja priùs tractati fuissent; & quidem præclarissimo usu confirmabatur in dies illius non præstantia modò, verùm etiam respectu hydrargirosis præcellentia, hac tantùm differentia; (quod obiter notandum sit) scilicet, quod laudatus Auctor in spiritu frumenti ipsum adhiberi jubet; Parisienses veró in vini spiritu ægris propinant; ut humaniter mihi communicavit Chirurgus *Josephus Ferrugia* Concivis meus, vir certè omni fide dignus: hac tantùm ratione, inducti, scilicet quod spiritus ex quocumque vegetabili fermentatione parati, & rectificati nihil fere differant inter se: [*a*] Sed quàm differt frumenti spiritus ab illo vini, patebit ex illis, quæ infra edifferentur.

LXIX. Medici etiam Angli nunc hanc methodum omnium optimam in curandis morbis venereis unanimiter amplectuntur, & plurimis, iisque pulcherrimis, experimentis denuò instaurarunt; quorum experimentorum accuratam historiam non est quod heic, brevitati studentes, [observattions &c. inquyris] referamus.

LXX. Italis tandem hujusce medicamenti virtus abundè comperta est; unde *Bartholomæus Julianus* nobilis Medicus Veronensis, in Nosocomio Militum ipsius urbis, plurimos ægrotantes morbo venereo affectos hujus medicamenti ope prosperè curavit; Atque in pluribus hodie Italiæ locis ad Afrodisia-

cam

[a] *Hermann. Boerhav. Element. Chemie tom.* II. *part.* I. *proc.* 43.

cam labem eradicandam fortunato præſcribitur eventu Sublimatus noſter, poſtquam Illuſtriſsimus Auſtriæ Præſes, datis humaniſsimè litteris ſuo amico Joſepho Benvenuto, Sublimati utilitatem commendaverit, quas heic tranſcribere, non ſupervacaneum erit.

CLARISSIMO VIRO
Joſepho Benvenuto Lucchenſi
Gerardus Baro VVan-ſvieten.

LXXI. OPus tuum accepi, libenter legi, & gratias debitas tibi ago. Mercurii uſum magni facio, ſed multa hic opus prudentia eſt; in primis cùm crudus datur, vel affricatur cuti. Non omnibus benè ceſsiſſe hæc tentamina ſcio. Si Mercurius ſublimatus corroſivus ſolvatur in ſpiritu frumenti, rectificato hac lege, ut in ſingulis unciis ſpiritus hæreat medium granum, & deinde hujus detur manè, & veſperi cochlear adultis, vel ad ſummum duo cochlearia, potando ſimul largam copiam decocti hordei, vel alterius cujuſcumque emollientis, mira efficacia obſervatur, in lue venerea, & aliis morbis difficillimis. Tercentos lue laborantes in Noſocomium Collegii præterito anno, & abſque ſalivatione omnes exierunt ſani, hoc ſolo remedio uſi. Parum argenti vivi, ſed efficaciſſimi redditi, & multa liquidi copia diluti, vidi profuiſſe quám maximè. Vale, & me ama.

Vindobonæ 8. Martii 1755.

Clariſſ.

Clariss. Viro Josepho Benvenuto Luccensi
Gerardus Baro VVan-svieten.

LXXII. USus illius remedii tamdiù protrahitur, quamdiù aliquid de luis symptomatibus superest. Tutò sumitur etiam diù. Cancrosum in lingua ulcus curatum vidi, dum per novem menses hoc remedio uteretur puella, & absque noxa ulla. A pinguibus, sale, vel fumo induratis, lardo in primis abstinendum jubeo; juscula, olera mollia, carnes paucas concedo facilè. Ptisanam hordei cum quarta parte lactis copiosam do, vel aliud quodcumque decoctum emolliens. In Nosocomiis, cubiculi ambitu continentur. Plures curavi, qui quotidie per urbem vagabantur, in primis Verno, & Æstivo tempore. Præterito mense ducenti e Nosocomio exierunt curati hac methodo. Post paucos dies tercenti alii ingrediuntur. Credo & apud vos similem successum sperari posse, cùm in Hispania per decem annos inveteratam luem sic curaverit Archiater Regiæ Viduæ, cui indicaveram hoc remedium.

Vindobonæ 13. Aprilis 1755.

Clarissimo Viro Petro Burserio
Physicæ, ac Medicinæ Doctori, Exercitus S. C. M. Medico.

§. TUtò dari posse certus sis: Sexcentis lue laborantibus intra anni spatium datum est optimo cum eventu, etiam in difficillimis casibus: nemini quid sinistri contigit Mercurio sublimato corrosivo,

rosivo, qui in omnibus Pharmacopolis prostat, utor. Spiritum frumenti adhibeo, quia cum hoc prima tentamina feci, ante plures annos, & cùm pulchrè successerit, nihil mutare volui: credo enim, facilè & vini spiritum inservire posse. Vale.

Vindobonæ 26. Decembris 1755.

LXXIII. Anno etiam 1760. Amantissimus *Van-svieten* in sua brevi descriptione Morborum Castrensium magnoperè usum *Mercurii sublimati corrosivi* extollit, tamquam genuinum, & palmarium luis venereæ antidotum, simulque methodum ejusdem adhibendi breviter, & enucleatè describit. De hisce tam multis, tam variis, tamque præclaris Observationibus quâ privatim, quâ publicè in Xenodochiis Vindobonensibus hac de re institutis, licèt satis superque edoctus, ac de præstantissimo adversùs luem veneream Sublimato certior factus ipse, nunquam tamen ausus in meis ægrotis ipsum adhibere, verens, ne invidiosis carpendi innoxii remedii ansa præberetur. Sed impulit demum experientia tot celeberrimorum Virorum testimonio signata, adegitque amor Patriæ, ut spretis Zoilorum calumniis, in hisce morbis Sublimatum adhiberem; unde occasione arrepta, cúm nonnullos confirmatæ luis, neque ulli hactenus evulgatæ methodo cedentis, casus praxeos fortuna mihi obtulisset, in usum medicum apud Concives meos primus, quem sciam, absque ulla hæsitantia introduxi.

Cùm autem conficiendi spiritus frumenti, quocum nuptus Sublimatus dari debet, modus in Patria ignoraretur, non mirum si Pharmacopæus, a

quo primò parandum curavi, non tam quid ſpirituoſi, quàm prorſus aquei ex tritico elicuerit; hinc alteri negotium committens, extrahendum juxta Boerhavianum proceſſum *ſpiritum* hunc frumenti inculcavi. Quem demum purum, omni frumenti dote divitem mihi comparavi. Huic ergo ita parato vehiculo Sublimati juſtam doſim infudi. Illicò ſolutus in minima evaneſcebat, certo quidem indicio, Mercurium hunc præ illito ſub forma unguenti, & longé citiùs, & longè tutiùs, perfectiuſque extingui. Itaque tanto auxilio fiſus, diffiſus autem unctionibus mercurialibus, praxim meam audax adhibui, licèt multi cenſoria virgulâ eam notarent, & livido dente famæ remedii detrahere niterentur, an jure, vel temerè, æquus Lector ex ſequentibus meis Obſervatis decernat. Ecce ergo tibi eventûs viciſsitudines, quas toties a *Sublimati corroſivi* uſu vidimus contigiſſe.

OBSERVATIO DECIMASEPTIMA.

LXXIV. JUvenis nomine Franciſcus, ex Suburbio Villhenæ, annos octo & viginti natus, anno 1755. in gonorhæam virulentam lapſus, per octo menſes a Pharmacopola tractatus illam ſuppreſſam habuit, unde Æger ſanus reputabatur. Anno dein 1759. impura iterum venere aliam ſibi adſcivit gonorhæam conjunctam *phimoſi*; Itaque Medicam, & Chirurgicam opem implorans, quæcumque in hac noxa dari ſolita intus, extuſque adhibuit: Hiſce tamen omnibus non ceſsit, quinimo gonorræhus conſtanter permanſit, & dolores articulares acceſſere. Verum

rum quidem eſt, *phimoſeos* vitium propulſatum fuiſſe; at verò adversùs fomitem venereum, prægreſſis ſolitis præparationibus, ad illitiones mercuriales deveniendum erat; id Medicorum conſilio imperante: A qua *hydrargiroſi* melius ſibi habere viſus; & licèt anni Æſtas non ita opportuna ferendo remedio eſſet, nullum tamen infortunium paſſus eſt nec in primo, nec in ſecundo, nec tandem in tertio ſtadio, itaut dolores penitus evanuerint.

Verùm circiter initium menſis Octobris anni ſubſequentis denuò exaſperati ſunt dolores, longè quàm priùs atrociſsimi, in articulationibus *cotiloïdeis* oſsium phemoris ſævientes, pro quibus debellandis rursùs inunctioni ex unguento mercuriali ſeſe expoſuit, nulla interim ſubſequente mitigatione ſimptomatum; unde omni ſalutis ſuæ aditu, ut videbatur, præcluſo, per plures menſes hos devorare dolores neceſſum habuit: Simptomatibus autem increſcentibus, a Medicis conſilium petiit. Advocatis igitur Profeſſoribus, tertia vice ad illitiones mercuriales quoque damnabatur; Præhabitis ergo ſolitis, & toties dictis præparationibus, ſcilicet ſanguinis miſsionibus, balneis aquæ dulcis, lacte aſinino per totum curationis tempus continuato; tandem illitiones mercuriales, non abſimili ritu, qui Monſpelii viget, uſurpatæ ſunt. Et quidem non abſque ſenſibili ſimptomatum ceſſatione, quæ per tres menſes duravit.

Sed vix hoc tempore elapſo, cùm nova exurgerent ſimptomata, ſcilicet ſurditas utriuſque auris, præcipuè ſiniſtræ, immobilitas artuum ſuperiorum, & capitulorum oſsium humeri in *tophos* degeneratio. Ad hæc dolor atrociſsimus in medio phemoris

ſiniſtri, caries oſsium naſalium, unde oſſa turbinata, ulceroſa adeo evaſerant, ut ſepto iſtiuſmodi profundè depaſto, ex duobus cavis unum amplum efformaretur: [adversùs quam noxam, ſuffumigia cinnabarim excipientia licèt a Medicis probarentur, & diu inſtituerentur, fruſtranea reperta ſunt:] Demùm malorum cumulo acceſsit perforatio palati. Ad haſce ergo anguſtias redactus, a variis Medicis conſilium rogat, qui omnes quartam unctionem ei ſuadebant; ipſe verò conſtanter renuebat, probè fortè eorum memor, quæ in antecedentibus curationibus pertulerat, faſtidia. Tandem me conſuluit, qui adeo & ei auctor fui, ut Sublimatum noſtra methodo correctum aſſumeret: unde die xv. menſis Aprilis anni 1761. accito in conſilium Chirurgo *Joſepho Farrugia*, qui nuperrimè in Patriam rediit, hoc remedium propoſui coram, qui omnibus rité perpenſis, praxim hanc aſſenſu ſuo firmavit: Et ideo admota phlebotomiâ, ac leni purgante inſtituto, ad *Sublimatum corroſivum* cum ſpiritu frumenti properavimus.

Sic enim die decimanona menſis Aprilis doſim conſuetam Germanis, ſpiritus ſcilicet cochlear unum, & debita quantitate lactis tertia parte aquæ edulcorati, loco decocti, hauriendum juſsimus: Quia verò ab uſu ſpiritus prædicti ſimptomata varia Ægroto, ſcilicet ardor faucium, ingentes anxietates, ac ſæva cardialgia oborta ſunt: (licét magna epota quantitate lactis illico evaneſcerent) idcirco immodicam fuiſſe ſpiritus quantitatem rati, hanc altera die minuere, neceſſarium duximus; unde dracmas tres manè propinavimus, & totidem dracmas ſerotinis horis bibendas curavimus. Nec fefellit eventus:

cúm

cùm nec de ardore faucium, neque de aliis ſimptomatibus conqueſtus ampliús fuerit. Quarta ab incepto uſu remedii die Æger mihi retulit, nimìo ſudore ſe diffluxiſſe præcedenti nocte, maximé viſcoſo, quod notatu dignum eſt. Sudorem ſpiritus frumenti odorem prætuliſſe; Urinam etiam diligenter inſpexi, quam ejuſdem odoris aliquo modo participem inveni, cui in ſuperficie non parva quantitas humoris oleoſi innatabat; unde tacité ſperabam, fore ut aliquando morbus in totum fugaretur; nec fui deceptus; nam die quinta ſuper vigeſimam ab uſu remedii, cum magno Ægri gaudio tumida humeri moles notabiliter ſubſedit: aures ad audiendum aptiores: dolor phemoris præfatus, qui priús immanis erat, tum mitior redditus eſt: Fœtor narium imminutus, tum etiam naſi magnitudo decreſcere, (quem mirè deformem, ac prægrandem reddiderat lues) artuum redire motus, & pus meliorem indolem adipiſci.

Die tandem quadrageſima quinta a dolore phemoris, ab incommodo artuum, & a ſurditate aurium liber evaſit; plané ut nunc munus ſuum exerceat ſumma cum facilitate, abſque ulla ſuperſtite moleſtia. Verúm cùm Ægroti renitentia ineuns æſtas uſum medicamenti non tantùm permitteret, hoc ad aliam opportuniorem anni tempeſtatem reſervavi. Topicum verò in nares injicere curabam ex Sublimato corroſivo ſpiritu frumenti paratum in decocto hordei, & poſt duodecim dies aliquam portionem ſquammæ oſsis maxillaris decidere obſervavimus, unde fœtor narium maxima in parte diminutus eſt, ut vix percipi poſset.

Hinc non mirum eſt, ſi perſpecta hinc calida[?]

tempe-

tempestate usurpando Sublimato, importunâ, atque inde attenta Ægrotantis maxima renitentiâ, haud, inquam, mirandum, si pergat adhuc topicum, & naribus inhærens ulcus, quin ulla completæ, & absolutæ sanationis spes affulgere videatur; namque eò ventum est, ut sævissimo capitis dolore clavum quemdam parti ossis coronalis sinistrę infixum mentiente, & noctu ad instar dolorum venereorum ingravescente, miserè torqueatur. Cujus sanè morbosi fenomeni causam, in corrupta corpuscula, quæ a sede fœtidi illius ulceris emanantia, atque in proxima ossa irrumpentia hæc variè corrumpunt, atque stimulant, refundendam arbitramur; idque absque eo quod ul a in nostram methodum culpa conferri posse, videatur; nam ut annotatum est, curatio non Ægrotantis modò inobedientiâ intercepta est, verùm etiam hanc prosequi, ut jam dictum est, minimè potuimus. Neque enim putandum est, ut jam doctissimè præmonuit *Gerardus Van-swieten*, qua methodo lues venerea recens, nullisque topicis stipata malis, curari plerumque solet, eadem quoque nostra vetustissimum morbum, & doloribus ostecopis, imó & carie ossium comitatum intra idem tempus abactum iri; (nam ut adagio fertur, *Forti nodo fortis cuneus*) ubi virus venereum in ossibus altam jam fixerit sedem, metus est, ne depurato modò quoque sanguine, sepultum jam venenum intra datum tempus extricetur, atque ex suis latibulis, quasi ex insidiis erumpat totam fluidorum massam inquinaturum,

Quamobrem non est cur ex hujusmodi imperfecta ut videatur luis venereæ confirmatæ per solutionem nostri Sublimati curâ; non est, inquam,

quare

quare methodus nostra antiquari, aut infamari debeat, quæ pluribus in casibus profuit semper, nocuit unquam, modó recta, prudens, & debitè protracto tempore fuerit.

COROLLARIA.

I. SEquitur ex prægressa morbi historia, tutiorem longè, atque efficaciorem esse methodum adhibendi Sublimatum, parva semper dosi repetita, juxta Illustrissimi *Van-svieten* mentem, quamque a quodam Auctore describitur. Exinde enim ipso fatente præcitato Scriptore tantùm abest, ut aliquid emolumenti ægrotis accedat, ut potiùs exuberanti ejusdem Sublimati intùs administrati copiâ pessima mala oriantur, qualia sunt: Febris, Sitis ingens, Cephalalgia fera, Anxietates & similia.

II. MIram esse, & singularem prorsus Præparati nostri mercurialis dotem in arcendo viru venereo per cutis spiracula, aut per lotii vias. Quippe sicubi alvum moveat, id peculiari Infirmorum idiosyncrasiæ tribuendum est, non autem naturæ nostri medicamenti; quòd præterea eatenùs aliis omnibus Præparatis mercurialibus, quin & ipsi *illitioni* longè, multùmque excellere videtur, quatenus rarissimè, ne dicam unquam, salivationem inducat: Quinimò ex nostra historia patuit, cunctisque constare arbitror, salivationem prædictam, quæ in delibutis jam unguento mercuriali, per adhibitam parcam *Mercurii dulcis* dosim accidere consuevit in nostra methodo, vix unquam

pro-

prodiisse, etiamsi tertiò, aut quartó instituta priùs fuerit *hydrargirosis*. Accedit etiam, quod Præparata alia mercurialia, ut *diaphoretica* reddantur, diaphoreticis Practici admiscere solent; quemadmodum si vim purgantem inde expectant, hanc nonnisi purgantium admixtione obtinere; quamobrem, ut supra patuit §. LXV., videtur Sublimatus corrosivus ex sui natura, absque ullo adjumento, specificum luis venereæ sudoris sub forma debellandæ *antidotum*.

III. INsigni virtute pollere Sublimatum hunc, non modò adversùs rebellem luem veneream, quæ interna adhuc tantùm corporis loca malé habet; verúm etiam quando eadem labes, sub forma morborum localium, ad corporis ambitũ furibũda se proripit, atque numerosissimas noxas, easque valde periculosas, in externo corpore producit. Id ipsum infra clariùs patebit: Sufficiet impræsentia adnotasse præstantissimas curationes, easque optatissimi exitus passim evenisse horum, quos diximus, morborum, per admotionem externam emplastri, quod *auripigmentum* venenosissimum, non mediocri quantitate excipit; ut ex illitione *collirii Lanfranci*, qùod idem auripigmentum ingreditur, quocum solent detergi oris ulcera, post hydrargirosim remanentia, non modó sine periculo, verùm etiam cum subsequenti inde felici curationis exitu.

OBSER-

OBSERVATIO DECIMAOCTAVA.

LXXV. PUellæ octenni a patre unà cum vita semineum venereum infusum est, a quo obstructiones multigenæ lymphaticæ in diversis corporis locis sese exhibuerunt, ut in collo &c., accesserunt etiam tubercula multiformia, necnon varia ulcera sordida depascentia per totam, qua latè patet, cutem dispersa; quæ non aliis domari visa sunt, nisi unguento mercuriali, topicis; Ipsa tamen ad perfectam coitionem reducere, difficillimum plané erat, ne dicam impossibile: Ea de re nec varia medicamenta a Mercurio petita ei profuere quidquam, planè ut ad *Mercurium Sublimatum corrosivum* deveniendum esset, ut infra fusiùs dicetur. Sexta die post inceptum remedium magna febris cum dolore capitis gravativo, anxietate exorta, animum perculit, & de pravo remedii nostri effectu admonuit; sanguinem ergo ex brachio mitti jussimus ad uncias quinque, & ab usu medicamenti Ægram desistere. Secunda die remisit febris; tertia tandem variolæ, & quidem discretæ, apparuerunt, quibus ex Arte sanatis, & refocillatis aliquantisper viribus Ægrotantis, denuò ad usum Sublimati recurrit, ut spatio quadraginta dierum hoc præstantissimo remedio integram sanitatem recuperaverit.

COROLLARIUM.

I. DIscimus ex hactenùs recensita Observatione Mercurii nostri sublimati vim ad intima corporis penetralia pertingere. Vidimus namque

que luem veneream in memorata puella per traducem infuſam, & jure quodam hæreditatis ultima corporis ſtamina occupantem, præter omnium expectationem, ſola noſtra methodo oppugnatam, fuiſſe, & concretiones glandularum colli ad *ſcrophulas* quam proximè accedentes eadem medendi ratione reſolutas abiiſſe; Quod nunquam per adhibitam hydrargiroſim ſuccedere videtur.

OBSERVATIO DECIMANONA.

LXXVI. PAter memoratæ Puellæ [de qua in antecedenti Obſervatione] labem, veneream multis a retrò annis in corpore ſovens, ſepties gonorheam tulerat: quo factum eſt, ut ſeminis ſtillicidium ei permanſerit, & inſtante hyeme, artus dolere illi cœperint, necnon aliquid moleſti ſub ſeminis emiſsione, ſenſus in uretra perceperit delumbis, ineptuſque evaſit, licèt in flore ſuæ ætatis conſtitutus; unde unguento mercuriali, iis obſervatis, quæ nunc ſolent, cautelis, & dieticis regulis delibutus, non adeo ſævientem experiebatur morbum, ſed non idcirco fugatum, licét macilentus, & valde attenuatus evaſerit. Septimo verò menſe, poſt hydrargiroſim omnia vetera ſimptomata recruduerunt, quæ tamen noſtra methodo toties laudata in fugam conjecta ſunt.

COROLLARIUM.

I. IN præcedenti caſu illud notatu dignum occurrit, quod ſeminium venereum, a quo illa gonorhea habitualis profluxerat, in homine jam unctio-

unctionem mercurialem passo, non alia tutiori, & efficaciori, quàm methodo nostra deleri potuerit, neque adeo gonorhea perfectè curari. Quod haudquaquam succedere animadvertimus, per methodum *illitionum*, cujus vel ipsi Patroni apertè testantur, *gonorheam* hujusmodi inveteratam consuetis unguenti *illitionibus* adeo pertinaciter resistere, ut opus sit Medico aliam ingredi curationis viam, quæ topicis, vel internè sumptis remediis, *balsamicis detergentibus*, *consolidantibusque* perfici creditur. Imò apparet ex prægressa Observatione, vel saltem deducitur, quàm inconsulté, imperitéque sæpè se gerant, quicumque in curandis gonorheis *perineum*, & vicina loca identidem parvis unctionibus mercurialibus obliniunt; quippe interea experientiâ constitit, non modò inde *dussuriam* recrudescere, verúm etiam seminis probi, nec ullo modo corrupti, effluxum largiorem inde fieri.

OBSERVATIO VIGESIMA.

LXXVII. JUvenis ætatis vigintisex annorum, postquam gonorheam veneream, habuerat, simulque ulcusculis coronæ, & fræno *balani* insidentibus defœdatus, vulgarem therrapejam & internè, & externè per topica ingressus, post quadraginta dies de recuperata sanitate sibi adblandiebatur. Sed anno subsequenti ulceribus faucium perterritus, ad *hydrargirosim* lubens confugit, qua ulcera latiùs serpere, & profundiús oris loca depasci adeò cœperunt, ut columellam, & majorem fornicati partem palati deperdiderit; Tandem die vigesimaquinta mensis

Aprilis anni 1761., hoc ego consilium dedi, ut *spiritum frumenti* cum Sublimato corrosivo, familiari mihi methodo, ingereret, & ex eodem Sublimato cum aqua hordei, tamquam locali collutorio, oris interiora ablueret. Ita factum; & in hoc usu cùm per quadragintaquinque dies perrexisset, tam ab intùs suscepto seminio, quàm a fœda ulcerum illuvie convaluit.

COROLLARIUM.

I. Allatus hactenùs Casus apertè nos docet, quantum potentiæ in pulvere nostro *Sublimati* potabili insit, adversùs ulcera *dissepulota*, quæ imprimis a contagio venereo diversis corporis partibus, sed maximè ori, accidunt: quamobrem in hisce, & similibus casibus facilè intelligitur, utrâ Medicum deceat, uti methodo illitionum, an Sublimati: & profectò hæc ultima administrandi *Sublimati* ratio, mihi omnium facillima, brevissima, & præstantissima videtur, quin etiamsi Mercurius crudus figurâ sua omnis acrimoniæ experte agere supponatur; atque adeò absque tumultu, & pacatè venereum virus debellare; (qualis est sententia *Astruccii*) nihilominùs tamen si attendatur ad humorum fusionem, salium extricationem, enormes lymphaticos fluxus, quos tantùm & figura, & gravitate sua producit nativa forma Mercurii; certè inferendum dabitur, Mercurium illitum majori acrimonia pollere, magisque noxium esse posse, quàm ubi sub forma *Præparati* internè assumitur. Patuit namque ex prægressa nostra Observatione, ulcerum oris interiora depascentium ambi-

ambitum insigniter dilatatum fuisse, eademque majorem acrimoniam allabentis fluidi indicasse, cùm nonnisi post institutam unctionem eorumdem ferocia sese manifestaverit. Verbo dicam: Acrimonia Mercurio nativo propria, utpote omnium metallorum ponderosissimo, (excepto auro) quia dependet a sola figura metalli, *mechanica* appellatur, uti eandem vocat *Gorterus*: Acrimonia autem, quæ *Sublimato nostro* vitio verti posset, vera quidem & realis est, quòd a spiculis acidis, quibus Præparatum nostrum horret, maximam partem dependeat; sed, ut pluries dictum est, eadem hæc *acrimonia* Sublimati, aut tota in solvendis concretionibus pacatè, aut in titillandis leniter solidis, absque ullo tumultu impenditur; atque adeò sive virus lateat in ultimis capillarium recessibus, sive majora sanguinis vasa occupet, Mercuriô illito efficaciùs illud idem virus atterat, subigat, expugnetque; ut infra clariùs patebit.

Prostant etiam similium curationum, per Sublimatum Crystallinum felicissimè contingentium exempla, ut in Observationibus Anglicanis: (*a*) Illa Bartholomæi Juliaris, Internari, Martelli, *Balletti*, Bassani; Necnon illa, quæ continuó occurrere videntur; quæ singillatim recensere non vacat.

CAPUT

(a) *Observations inquirens.*

CAPUT QUINTUM

Primarios Mercurii ſublimati effectus ſiſtens, & An Mercurius hic nativo præſtantior.

LXXVIII. HActenùs non propria tantùm, verùm etiam celeberrimorū Clinicorum protulimus Obſervata, quæ miram Mercurii hujus ſublimati corroſivi in morbis venereis averrucandis virtutem teſtatam ſatis ſuperque exhibent: Verùm quomodo, & qua vi luem ille veneream ſanet, & undenam ipſi argento vivo illito præferendus ſit, neminem ſaltem eorum, quos legi, reperies, qui hac de re ex profeſſo tractarit. Patiaris inde, ut aliqua Nobis probabiliora viſa in medium proferamus, quæ ſi non pro argumenti dignitate, at ſaltem pro noſtra tenuitate tibi ſatisfutura confidimus: Ex quinque ergo fontibus deſumitur agendi ratio in hoc Sublimato, ſcilicet: I. ab ejus *Gravitate*; II. *Figura*; III. *Diviſibilitate*; IV. *Vi ſanguinis urgentis* vi vitæ; V. demùm ab *acidis Spiculis* ſalis marini, quibus ſcatet. Exordiamur a prima concauſa.

LXXIX. Cùm particulæ Sublimati corroſivi graves etiam ſint, majorem vim exercere aptæ erunt: [ut unanimi conſenſu de corporum vi indaganda demonſtrant Phyſici omnes] cùm enim cubica latercula [quæ figura in corpuſculis Mercurii corroſivi dominatur] anguloſo apice in obſtaculū ſeſe inſinuant, fit, ut particulæ lymphaticæ, ab illis petitæ, facillimè omnium a ſe invicem ſecedant. Id ipſum quoque teſtatur recentior, & magis culta

Phy-

Physica: Figuræ enim cuneiformes eò dividendis corporibus aptiores sunt, quò magis cuneus premitur. At presſio propria *cubicis Sublimati* elementis pendet etiam ab ipsius proportionali gravitate; & ideó Sublimati componentes partes inter obstaculi moleculas faciliùs penetraturæ sunt: quod de particulis argenti vivi dici non potest; nam illarum figura cúm sit sphærica, nullis angulorum eminentiis tumet: id omnes docent, & proinde nullis aptis ad moliendam corporum divisionem ea pollent, ut infra patebit.

Neque obstat earum insignis gravitas, qua adeò non uti Sublimati molleculæ impedimentum amovent, ut e contra majorem aliquando concretionem gignant, & obstacula sanguini circulanti objiciant: Sagacissimi enim naturæ perscrutatores *Zmit*, *Cote*, aliique plurimi Angli evidenter demonstrarunt, gravitatem globuli Mercurii esse ad sanguinis globulos, ut unum ad decem; obstacula, quæ in morbis venereis observantur, lymphatica præcipuè censentur, cùm hocce virus humorem adiposum, & lymphaticum præ ceteris occupet, inque iis tyrannidem suam exerceat, docente *Astruccio*: Exinde globuli sex lymphatici singulos globulos sanguineos constituunt, probante *Levenoechio*. (*a*) Unde gravitas globuli unius Mercurii, ad lymphatici se habet ut sexaginta ad unum, quod ingens discrimen est, proindeque magis noxius, quàm utilis erit.

Porró cùm sphæra obtusior majori se superficie meatui cuivis offerat, futurum est, ut obstaculi partes, sive concreta canalium, non perrumpantur,

(a) *Pag.* 85.

tur, ut potiùs augerentur, & a figura sphærica, quam priùs habebant, concreti moleculæ ovalem acquirant, proindeque puncta contactus adaugenda esse consequitur. Quoniam verò corporum fluidorum renitentia, ut demonstravit *Neutonus*, pendet a majori vel minori partium contactu, ideoque cùm particulæ lymphæ, quæ immeabiles censentur, in pluribus punctis sese contingant, effecturæ sunt obstaculum multò densius; eòque frustraneus in tali casu argenti vivi usus, quin & noxius futurus esset: Quod si aliquando Ægrotos venerea lue affectos liberari inde eveniat, hoc idcirco fiet, quia fortè crassities humorum a veneno inducta tanta non erit, vel alia causa oritur, ut Capitulo sequenti clariùs patebit; aliter enim irrito conatu adhiberetur, & semper cum mali recidiva, ut quotidie in Nosocomiis observant Clinici. Præterea, quia (ut solent) luem veneream ibi causantur imperiti, ubi ne quidem ejus minima suspicio adest; hinc est, quod puris unctionibus perpessi, suppositi virus expulsionem adscribant, qui e contra priùs perfectiori valetudine fruerentur.

Tandem, sive immani vivi argenti gravitate intùs admissi in corpore, & ob concre ionem particularum lymphæ, seu ob majorem obicum redditam soliditatem varia prava simptomata pullulare observantur; ut §. --- Sic si duo globuli nativi Mercurii per vim attractionis, quæ in ipsis maxima viget, in unum coalescant, tunc longé graviorem molleculam dabunt, [gravitas enim est massæ

propor-

proportionalis] (*a*) & proinde *Inflammationes*, *Hecticæ*, *Apoplexiæ*, *Paralyses* orientur, quin & mors ipsa obrepere poterit.

Verum quidem est, Mercurium nativa sub forma exhibitum *Mercurio* nostro *Sublimato* in specie graviorem esse: At Mercurii gravitas quò major sanguinis, sub eadem mole, gravitate supponitur, eò magis vi cordis impellentis nata est ita, ut tandem multò citiùs vis Mercurii nativi per vasa fluentis, quàm sanguinis unà permixti destruenda sit, cùm hujus Mercurii respectu cordis actio longè citiùs quàm respectu Sublimati decrescat. Constat verò, fluida intra medium resistens, aut tubos fluido resistente refertos propulsa, fluere excessu virium pone currentium supra vires resistentes, & harum velocitatem esse ut velocitatum differentiæ radicem. (*b*) In summa guttulas sphæricas argenti vivi, guttulis Sublimati nostri, quò magis pondere superant, eò majus velocitatis decrementum pati, ut infra fusiùs. Hinc est, ut divisa Mercurii elementa per minimos corporis recessus, quos vix attingit cordis, arteriarumque potentia denuò inter se coeant, & grandioribus sub guttis corpori noceant: Hinc uteri hemorragiæ &c. (*c*) Hinc vidimus toties in praxi, post tertiam utplurimum *illitionem mercurialem*, suborta salivatione, per glandularum salivalium emissaria purum Mercurium elabi; quod sanè, quemadmodum faciliorem globulorum mercurialium per solutam calore corporis therebintinam, cum qua extinguitur, coitionem

 indi-

(a) *Scienza della natura. Padre de la Torre tom.* I
(b) *Acta Academiæ Parisiensis anno* 1704. *pag. m.* 333. (c) *Forestus tom.* III. *lib.* XXX. *p.* 27.

indigitat; ita planè demonstrat quamcumque, & quantamcumque in Mercurio nativo gravitatem, concipias, hanc nihilo secius sibi impedimento futuram, neque adeò ad ultimos corporis meandros, in quibus hæret fomes venereus, pervenire posse; Ab hisce autem omnibus infortuniis immunem prorsùs esse Sublimatum nostrum, ex anteactis Observationibus liquet.

LXXX. Secundò. Contagium venereum Sublimati nostri spiculis angulosis attritum, feliciùs abactum iri evidens est, ut supra notavimus. Corpora enim superficie angulari prædita adversùs ea, quæ ipsis resistunt, eo momento agunt quod celeritati, quantitati materiæ, & angulorum acumini respondeat; (a) & ideo Cuneus, cujus basis est in majori proportione, ad altitudinem, is majori scindendi, ac dividendi vi pollet.

Id ipsum evincunt Mathematici omnes. Demonstrant enim, corpora, quó magis obtusa sunt, eò debiliùs concreta ferire, atque penetrare; & e contra; & cùm nullum corpus ad obtusiores angulos magis accedat, quám sphæricum, hoc ergo, ceteris paribus, omnium minima vi in obstaculum irrumpet; sphærâ enim plano impositâ nulla linea per contactus punctum transeuns concipi potest, quæ cum plano efficiat angulum; si ergo non transeat per sphæram, ergo nullus excogitari potest angulus obtusior, quàm circularis, vel sphæricus, ac proinde nullam inveniri posse figuram a discindendo magis remotam sphæricâ, constat. His ergo positis, patet, argentum vivum, & ipsum rotundissimum,

(a) *Josephus Bertinus de usu Mercurii p. m. 9.*

ſimum; longè debilius ceteris, in obices venereos arietaturum eſſe aliis mercurialibus; & quod inde ſequitur, ſingulos Mercurii atomos difficillimè ſeſe inſinuatum iri in ultimos canaliculos viru obſeſſos: Sphæra enim meatui obſtaculi non adoptatur, cui cum ratione majoris ſuperficiei nullo modo convenire videtur.

Tandem cùm particulæ Sublimati noſtri angulares ſint, fibras canalium potiùs vellicant, quàm argenti vivi moleculæ, & ideo ratione ſtimuli, ut demonſtravit *Laurentius Bellinus*, partes contentæ jam per venenum venereum viſcoſæ, vel jam ſtagnantes a remedii noſtri præſtantia moventur. Claré hoc demonſtravit *Santorius* ſequentibus verbis: „ Supponatur in parte aliqua quid hærens, itaut „ liquidum influens ad extremum fibræ non per- „ veniat, facto vel in ipſa, vel in altera fibra ſtimu- „ lo, fit validior, & copioſior liquidi influxus; „ Copioſiori facto influxu debet fieri major di- „ ſtractio, unde illud hærens facillimè nocere poſ- „ ſe neceſſe eſt, & ulteriùs progredi, ac diviſio- „ nem pati.

Porrò actio argenti vivi in objectum ubicumque corporis obicem conſiderari poſſet tamquam latera canalium, dum tranſit cum ſanguine, vaſorum impellens; in quo caſu ajo. Seminium venereum in hiſce canaliculis lateralibus latens ineffi-caciſsimè omnium attingi: Nam globuli mercuriales, dum cum humoribus per vaſa circulant, cum eorumdem parietibus non affricantur, ſed potiùs circumrotantur. Idipſum confirmat Clariſsim. *Joannes* de *Gorter*, (*a*) ubi demonſtrat, liquores fluentes

(a) *de perſpirat. inſenſib. cap. 7. p. m. 21.*

tes per canalem vix latera terere, ſed a contactu circumrotari; nam ſi canalis, quem pererrat liquor conſtans globuloſis partibus, ut ſunt mercuriales, ab axi ad circumferentiam, ob Mercurii particulas impetentes, diducitur, in hujuſmodi contactu non atteritur, (illicó enim a lateribus ſuis per puncta adhærentes, vas expuit globulos) ſed circumrotationem admittit tantúm. Axioma etiam apud Phyſicos habetur: *Omnia fluida eò faciliùs concurrere, quò inveniunt minorem reſiſtentiam*; & ideo globuli mercuriales fluidi eò loci in corpore confluant, neceſſe eſt, quò debiliorem renixum experturi ſunt, itaque a valida canalium obſtructione, tamquam a firmiſsimo obice repulſi, oportet, ut aliam affectent directionem, & versùs alia loca ſeſe determinent: [*a*] Cuneiformes verò, ſive acutiores partes Sublimati corroſivi, ſalibus quibus pollent, dum ſeminii venerei receptacula quæque attingunt, vellicant quidem, ſed tutiori vi, & penetrantiori momento altius in obſtaculum ſeſe inſinuant, & quodvis coagulum atterunt, & exterminant efficaciſsimé.

Neque dicas, *Mercurium ſublimatum corroſivum*, cùm venenum ſit mechanicum, (*b*) quo agit in obſtaculum, eodem quoque modo ſolidas partes afficere, lædere, ac deſtruere per ſuum apicem acuminatum poſſe: Vetat enim hoc columna liquoris ſubſequentis, unde actio Sublimati inſtantanea erit ſuper latera canalium. Hæc enim vis, ſeu momentum, quo Sublimati quæque mollecula in parietes

(a) *Neutonus in ſecunda lege motus*. [b] *Albertus Haller in ſuis Prælect. tom.* VII.

rietes cjuſcumque canalis agere cenſetur, æqualis ſemper erit innatæ, & ſuperſtiti proportionali gravitati harum mollecularum; necnon ceteris paribus directioni, qua illæ molleculæ eoſdem parietes impetunt; quocirca cùm jam probaverimus gravitatem illam proportionalem & minimam eſſe, necnon directionem earumdem in latera indirectam, ſeu obliquam; clariſsimè conſtat retropulſi liquidi momentum, quod proinde ſemper fortius momento particulæ Sublimati cenſendum eſt efficere, ut ſingulæ Sublimati corroſivi molleculæ minimum quidem temporis nectant in ſuo cum latere vaſis contactu, & eadem ratione faciliùs inſinuentur in orificia lateralium ductuum; Nam retrourgens columna fluidi cùm gravior ſit mole Sublimati corroſivi uná circulantis, illa axim canalis recta ſequitur, hæc autem latercula lambat neceſſe eſt ex una, & ex altera parte cùm molleculæ Sublimati directio indirecta & obliqua ſit, longiorem *vectem* repræſentat, quo proinde vis vitæ, a tergo movens adjuta, nullo negotio eam in quodlibet oſculum laterale intrudere poterit.

Tandem infortunia, quæ a Sublimati corroſivi natura, ſive configuratione, ſive mobilitate partium, quibus conſtat, ab aliquibus timentur, non modó ingens decocti emollientis quotidie ſumpti ad finem curationis uſque copia; ſed & feliciſsimé avertit ſpiritus frumenti, ut in §. a XXXX. ad XXXXIV. quocum in ſimilibus noxis exhiberi conſuevit; cùm enim *Cereale hoc* quàm in uſum hunc adhibeatur, priùs idonea aquæ copiâ, fermentare ſinunt; quod non ſecús ac *maltum*, (*a*) & farina fermentata;

ſpiri-

(a) *Boerhav. Element. Chem. proceſſ.* XLV.

ſpiritum ardentem aquæ miſcibilem, ſpiritui vini maximé ſimilem, deſtillatum ſuppeditet; Habebis ſanè in hoc ſpiritu frumenti liquorem limpidum, tenuem, ſpirituoſum valde, diſſolvendis corpuſculis Sublimati corroſivi, iiſdemque obtundendis, & ad materiam obſtruentem reducendis opportunum, & aptum, qui ſtimulo præterea ſuo ſpirituoſo, & tenui infarctorum canaliculorum motum reſtituat; & hac gemina de cauſa futurum eſt, ut vecto ad concreta uſque ſpecifico remedio, eadem, vel in diſsitiſsimis corporis plagis hoſpitantia, diluta, emollita, cedentia, truculentã luem penitùs profligatam ſiſtant.

LXXXI. Illud quoque Præparato noſtro laudi vertitur, quod moleculas maximè diviſibiles in ſinu gerat, dum vehiculo ſpiritus frumenti commiſcetur, obſtructiones a ſeminio venereo inductas efficaciſsimé reſerat; Nam ejus partes maximoperè attenuatæ in frumenti ſpiritu facillimè interſtitia ipſius lymphæ concretæ pervadunt, & ſiquid ibi veneni lateat, feliciſsimè extirpent; Et ſi concretæ obſtaculi venerei partes ita inter ſe coaluerint, ut ſtrictiores quolibet, etiam minimo, particulæ Sublimati angulo, (quod fere impoſsibile videtur) & anguſtiores relinquant meatus, in illo caſu inſinuatio harum mollecularum debebitur circulantis retro-liquidi momento; quod liquidum, ſive ob majorem copiam, ſive ob virtutem impellentem uſque ad locum obſtruentem, derivatum, ſecumque gerens diviſas illas Sublimati partes, has eò faciliùs, & efficaciùs intra illos concreti humoris meatus incuneat quó commodiùs exercere vim ſuam poteſt in *cubicorum* illorum corpuſculorum peramplam

amplam

amplam basim, quæ extra porosum illud concretum concipitur. Hinc ergo futurum est, ut repetitis ictibus a fluido subsequente, percussa illa minima basis *cubi sublimati* in fixum suum angulum, seu apicem, intra eadem obstaculi interstitia tantò altiùs defigat, longiùsquè provehat, donec tota mollecula *cubi*, dissitis concretionibus, per reliquum canalis tractum commodissimè circuletur. Si etiam canalium diametrum diametro appellentis *cubicæ* particulæ Sublimati minorem esse contingat, tunc a vi retropulsi liquidi, a copia humoris hausti, & in corpore usquè ad locum obstructum advecti, fit ut basis *cubi* aliquo modo in obstaculum implantetur, & aliqui lymphatici globuli jam affixi denuò cum aliis liquoribus circulent. Quapropter si partium attenuationem, in quas Mercurius dividitur, spectemus, sanè Sublimatus noster multis nominibus Mercurio illito, seu crudo præferendus etit. Nam primò, etsi guttula mercurialis in infinitas propemodum consimiles dividi queat, tamen in unctione mercuriali nec adeò validè, neque tam diù fricatur cutis, ut guttula ejusdem unum granum arenæ æquans, cutaneo spatiolo adaptata, in vigintiquinque millia poros (totidem enim in spatio unius grani arenæ in cute observavit *Levenoochius*) reverà distribuatur: E converso, in binis spiritus frumenti unciis nostra methodo infundi solet unicum Sublimati granulum, quod illicò per totam fluidi molem æquabiliter dispergitur; proindeque non mirum erit, si divisio Sublimati in corpore nostro se habeat ad attenuationem guttulæ Mercurii crudi, quemadmodum volumen, quod binæ illæ unciæ spiritus frumenti occupat, se

habent

habent ad volumen unius globuli mercurialis. Promovent etiam hujuſmodi Sublimati attenuationem ſalis marini admixtio; ſalia enim omnium citiſsimè & perfectiſsimé ſolvuntur in aqua; qua quidem divisibilitate Mercurius, quantacumque vi per *therebintinam* extinctus, caret omninó. Ex gemina hacce cauſa fit, ut minori virium diſpendio per omnia corporis loca, ubi virus hæret, actu diviſum *Sublimati Præparatum* tranſeat, & vires ſuas exerat.

Hanc partium *Sublimati* ſummam tenuitatem ſatis demonſtrat *Elixir album*, vulgò dictum *guttæ Ducis Lamotte*; hoc enim intrò ſumptum ultima vaſa nerveo-lynphatica, miraculi ad inſtar, expedit, aperitque; Unde in morbis oculorum deſperatis a celeberrimis Pariſienſibus maximopere deprædicatum inveni. Id ipſum confirmant illorum manuſcripta, Conſultationes, imprimis ea, quam Doctor *Verni Lazerme*, olim Profeſſor, & D. *Fourner*, edidere, ſub cujus finem elixir illud Monſpelii, & Pariſiis adversùs rebelles *cataractas* miracula patraſſe, proprio teſtimonio firmarunt; unde illud tamquam arcanum olim tectum licèt a multis fuerit, typis tamen evulgatum audio: Certum tamen eſt, ejus *baſim* nihil aliud eſſe, quàm cinnabarim Ungariæ, uti docuit *Aſtruccius*. (*a*) Mirum proinde cuique videbitur, tincturam hanc Ducis Lamotte ab *Aſtruccio* irrideri tamquam nullius periculi, nulliuſque ſucceſſus, (*b*) & inter medicamenta deleteria annumerari. Fortè ignarus earum, quæ elixirii illius ope peractæ poſtea ſunt, pul-

(a) *Tom.* 1. *de Morbis vener. p. m.* 169. *Item tom.* II. *p. m.* 1064. (b) *Lib.* II. *cap.* VIII. *n.* 2. §. 4.

pulcherrimarum curationum, in hanc sententiam descendit. At certè non de industria siluisse remedium, quod meritó Lutetiæ Parisiorum jactabatur, neque temerè a Medicis in morbis oculorum, tamquam summum resolvens agnitum, comprobatumque est, probat viri, par ubique ingenio, animi candor.

Reversus autem unde digressus sum, ita sentio: ut tincturam scilicet sublimati nostri arcano de *Lamotte* nihilo esse inferiorem censeā, ejusque delectum habendum esse, sicubi ab hydrargirosi infausta gutta serena (quod in Melita pluries tristi experientia contigisse memini) oculos corripiat. Cùm enim simili fere successu parentur guttæ de *Lamotte*, fit, ut similem quoque agendi rationem adeptæ, cum solutione nostri Sublimati pari quoque efficacia curandis pertinacissimis oculorum morbis adhibeantur. Sive enim tincturam, Ducis *Lamotte* cinnabaris, sive Præcipitatum Mercurii rubri ingrediatur, salia utrobique principatum tenent. Quippe cinnabaris salibus sulphuris acidis referta est; [*a*] Præcipitatum rubrum, cùm per aquam fortem fit, iisdem salibus, quibus nitrum, scatet. Porrò figura *salium* in utrisque similis est acubus: Quandoquidem nitri salia hujusmodi figuram æmulantur. [*b*]

Præterea non statim Præcipitatum rubrum ad interiora adhibent, sed postquam sufficienter aqua stigia edulcoratū est. Tametsi, ut verum fatear, hujusmodi solutionem Præcipitati numquam velim præscribant Medentes; quod de nativa, & artificiali

T

[a] *Lemeri, Cours de Chemie p.* 191. [b] *Nollet Lecons, de Phisique tom.* 1. *section.* II. *Experim.* II.

ciali cinnabari dici nequit, ut cui nihil omninò insit, quod facultate nedùm corrosiva, sed ne acriore quidem peccet, ut quam ab celebratissimo *Hofmanno* jussam, cum fructu videmus in rebellibus oculorum doloribus a sero lentescente, (*a*) & mirè laudatam apud eumdem legimus in Amaurosi, a lymphæ stagnatione in vasis nervos opticos cingentibus orta. (*b*) Hinc est, quod tincturam Sublimati nostra methodo paratam, tam cinnabarinis, quàm præcipitatis rubris longè pretulerim: præcipitatis, quia tutior; cinnabari, quia efficacior est, ut in qua confectione Mercurius, sponte sua volatilis, majori pondere salis marini adacti potentiùs figatur coerceaturque, ut in qua cuneiformes id generis sales, horumque cubica elementa, ubi primùm Mercurii atomos, guttulasque inierunt, eas pertinacissimè tenent, aptasque reddunt, ut cuneorum more minutissimos quosque in corpore recessus trajiciant, & miasma venereum profligare possint.

LXXXII. Concausa altera, quæ est ordine quarta, consideranda modò est, scilicet vis vitæ fluida a tergo impellens. Docent enim Physiologi omnes, quod ad hoc ut acria agant, moveri debent, [*c*] & ad obstaculi locum ferri, itaut inter concreti partes adigantur, illasque a sua cohæsione mutua separent; aliter particulæ Sublimati corrosivi ad obstaculum deductæ parum vel nihil agerent, si vi liquoris impellentis carerent; ideoque vis vitæ quatenus acria velut movet, & impellit, ad divisionem partium obicem componentium magnoperè concur-

(a) *Tom.* II. *secti.*II. *c.*XI. *obs.*VI. [b] *Idē to.* III. *cap.* IV. §. V. (c) *Jo: Gort. de insensib. persp. p. m.* 21.

concurrit; unde cùm atomi argenti vivi ad nonnulla corporis loca non pertingant, *Boerhavio* dictante, ſcilicet ſi obſtructiones in his, vel vicinis vaſis dominentur, tunc nullius momenti, nulliuſque uſus futuræ ſunt; partes enim obſtaculi juxta ſe invicem quieſcunt pacatæ, firmiùſque cohærent, quám ut ſingulæ ab invicem dimoveri poſsint, niſi accedat aliquod corpus movens, & ſeparans partes obſtaculi, & ideo claré colligitur, quàm efficax ſit Mercurii ſublimati agendi ratio. Sic ergo ſtatuendum eſt: vim vitæ, quæ ingeſta omnia, & applicata extùs remedia ad loca morboſa deducit: multò clariùs in vehendis, trajiciendiſque Sublimati diſſoluti particulis eluceſcere, quám dum, manente eadem potentia motrice, crudus Mercurius in ſanguinem venit. Cùm enim, ut modò innuimus, ſanguis mercurialibus guttis gravis curſum, in anguſtiſsimis vaſculis tardiùs perficiat; cùmque compertum ſit, tantum virium in potentia motrice deperdi, quantum mobile pondere ſuo reſiſtit; ſequitur, majorem ad reſiſtendum motui cordis, crudo, quàm ſublimato Mercurio vim ineſſe; (ut Capite ſequenti clariùs patebit) ſeu quod idem eſt, cordis arteriarumque motum priùs debilitatum iri, quàm ad remotiſsimas uſque partes, & intricatiſſimas glandulas mercuriales guttulas projicere poſſit. Itaque in hoc caſu idem contingit, quod ſuperiùs §. IX. dictum eſt, ſcilicet Mercurii guttulas quieſcere, inter ſe adhærere, guttas efformare majores, quæ proinde ulteriùs progredi neſciæ, omnia mala creant, quæ a compreſsione vaſorum minimorum evenire, fatalis experientia docet.

LXXXIII. Tandem vis Mercurii corroſivi peti

debet ab acidis particulis ſibi a ſale marino communicatis: Acida enim, quæ mineralia non ſunt, maximam vim fluida noſtra diſſolvendi habent; (*a*) unde ſi *acetum* calefactum ſanguini affunditur, nonſolùm arcetur a coagulatione, ſed ipſum cruorem inſigniter diſſolvit. [*b*] Hæc acidorum virtus *Hypocrati* etiam jam nota fuit; unde in Schirro ſemper *Oximelle*, *Oxicrato*, vel *Poſca* uſus eſt: Quod confirmat Galenus; nam *Schirrum* hepatis potu aceti curari docuit. [*c*] Sic quoque *Plinius* in Schirris vaporem aceti multùm prodeſſe aſſerit. *Lienoſis* porrò acetum prodeſſe, ſi ei cineres ſarmentorum adjungantur, ſe expertum, teſtatur *Dioſcorides*. Noſtra etiam ætate maximè illud commendatum videmus a *Laurentio Heiſtero* in Schirri curatione, [*d*] dum ſpecie vaporis, vel ignito lapidi aſperſum applicari jubet. Id etiam ſuo calculo firmat, & tamquam maximum diſſolvens deprædicat [*e*] *Joſephus Benvenuto*.

LXXXIV. Germani quoque Clinici multoties obſervarunt, quod ſi pars ſchirroſa ſuper effumans acetum ponatur, frequenter ſuccedente benigna reſolutione emolleſcat; id quod etiam Medici Galli nuper experti ſunt: Hi enim ſumunt acetum cum *ſale armoniaco* & aqua commixtum, vaporemque per infundibulum ad partem ſchirroſam deducunt; unde egregia emollitio *Schirri* non narò deprehenſa

[a] *Boerhavius de virib. medicam. part.* III. *cap.* 1. [b] *Hermann. Boerhav. Elem. Chem. par.* 1. *proc.* 50. *Couvus des Schemies par Monſieur Baron.* [c] *De uſu aceti in Schirro hepatis.* [d] *Inſtitution. Chirurgicæ tom.* 1. [e] *De aceto vini p. m.* 13.

hensa est; meritò igitur *Hipocrates Batavus* inter efficacissima remedia numerat acetum, multisque morbis prodesse asserit. Est enim liquor vegetabilis a duplici fermentatione vinosa productus, acidus, summè penetrans, subpinguis, valde volatilis, sale volatili acido, & oleo valde recondito imprægnatus. Habet acetum imprimis hoc singulare, quod liquor sit valde meabilis, & penetrantissima vi insinuando se in corpus humanum, viribus suis omne noxium & peregrinum in corpore latens per sudorem expellat; hinc ut sudorificum certissimum, & unicum habebatur etiam a priscis Medicinæ Scriptoribus; qua de re *Hypocrates Dioscorides*, aliique plurimi veteres Medici, *poscam*, *Oxicratum* in morsu animalium rabidorum tamquã remedium efficacissimum commendarunt: Ea virtute pollere asserunt Recentiores, multisque experimentis illustrarunt. [*a*] Alia etiam acida obstructis lymphaticis reserandis vasis aptissima sunt: sic Schirros vapore sulphuris resolutos esse, scribit *Boyleus*. [*b*] Igitur mirum non est, si ægrotantes, qui Mercurium sublimatum corrosivum internè sumunt, a fœdissimo seminio venereo immunes evadant, absque ullo molestiæ signo.

Acidæ etiam aliæ partes vegetabiles, præter illas a sale marino mutuatas, insunt Sublimato; nam præter *agrum frumenti*, ut ajunt, seu frumentũ proprié dictum, in prima operatione dissolutum, grana ipsa tritici liquorem acidum continent; unde hac præterea ratione potentissimum dissolvens eva-

[a] *Ignatius di Plot de effectu remediorum simplicissimorum*. [b] *de utilit. Philosoph. experiment.*

evadit nostrum remedium, & ad habitum corporis facillimè derivabitur: Neque ideo quòd colostrum acidum sit, & lac coagulet, conjiciendum sit, acida liquidis nostris affusa eumdem effectum præstitura. Nam acetum, licèt aciditate omnia acida superet, & lac cogat, humoribus tamen nostris, quibuscum confunditur, perfectissimum in fluorem adeo redigit, ut Recentioribus omnibus hac de re nullum remanserit dubium; [a] Unde si homo, qui obstinatissima alvi siccitate laborat, bibat libras tres, vel quatuor succi recentis ex pomo acido, & similibus, incidet in diarrheam; & si ulteriùs bibendo pergat, ejus sanguis ita dissolvetur, ut totus in aquam per dyssenteriam abeat. [b] Hæc omnia illustrat Experimentum sequens: scilicet si ossa alkalinis liquoribus immissa fuerint, firma & intacta manebunt, si acidis immersa detinentur mollescunt in fluxilitatem usque; ut in Anatomicis Experimentis se didicisse narrat magnus *Ruischius*, Vir in arte Medica magnoperè Clarus.

Neque prætereunda hìc esse videtur *Pitcarni* difficultas, quam in uno Theoremate adversùs acidorum in sanguine contentorum actiones proponit: *Plantas*, inquit, *per os assumptas, quantumvis acido fœtas, actione tamen ventriculi, & pulmonis; & cordis circuitum fluidi nostri efficientis, mutari citò in corpora alkalica &c.* [c] Videtur enim exinde

[a] *Cours des Chimi. part. Monsieur Baron p. m.* 190. *Josephus Benvenuto de Aceto vini p.* 7. [b] *Praxis Medica, sive Comment. in Aphoris. Boerhav. tom.* 1. [c] *Dissertat. de opera quam præstant &c.* §. 10. *pag. m.* 169.

inde colligi, quæcumque a nobis collecta, & scripta sunt de *vi Sublimati corrosivi acida*, & acidis non modò mineralibus, sed etiam vegetabilibus decocti hordei gravi, eaque delendo, ut ita dicam, fermento venereo perapta, videntur inquam, facilè peritura esse, cúm ex falso principio dependeant; hinc ergo paucis huic prædicto dubio respondere visum est, ne fortè Lectori hæreret aliquantisper aqua; Et primò quidem, experimenta acidum omne in sanguine reconditum siquæ sint destruentia, eó pertinent, ut congressum hujusce acidi cum efficto alkali sanguineo, & inde pendentem imaginariam fermentationem repudient, quam non inficiamur, cúm ex summo *Boerhavio* patet, nunquam in cruore detegi posse, principia alkalica, & acida, ut inde queant nosci visibiles eorum commixtorum effectus, ebullitiones, motus intestini, aut rarefactiones. (*a*)

Secundò. Parum fidendum est Chimicis experimentis, quibus omne acidum a massa sanguinea, etiam naturaliter constituta, ablegare conantur adversarii. Siquidem acidum inesse sanguini, nuper demonstravit *Raymundus Viussen*; Quod nequaquam a *Bolo mixto* provenisse, cum *Pitcarnio* statuendum est; (*b*) *Hambergerius* quippe idem acidum ex sanguine humano eduxit, absque ullo Boli interventu, atque adeo acidas sanguinis particulas vegetabilibus non penitùs concoctis, mutatisque, rectè, veréque adscripsit. [*c*]

Tertiò,

(a) *Idem Element. Chem tom.* 2. *Process.* 114. (b) *Ibidem.* [c] *apud Haller tom.* 2. §. 227. *ad not.* M.

Tertiò, Etiamsi daretur, acidum omne a sanguine animali abesse, tamen sal marinum, aut marino simile exigua mole sanguini inesse, nemo dubitat, ipso fatente *Pitcarnio*; (*a*) & ostendit id ipsum clarè *Robertus Bojleus* ab eodem allegatus; (*b*) hinc est, quod optimè dixerit *Fridericus Hofmannus*: Tota natura animantium est salifica, (*c*) & profectò; præterquàm quod sales immutabiles esse in suis figuris, ac proinde lege quadam immutabili, effectus ex mole & figura pendentes producere, demonstravit *Guglielminus*. (*d*) Accedit multiformium salium familiam in liquidis animalium deprehendi, sic sales saponacei ipso effectu in bile & saliva observantur; (*e*) Sic vapor pulmonis speculo exceptus, ex arte exhalans, salinam reliquit post se materiam; [*f*] Sic urina multo sale instructa cernitur; verùm, ut notat *Hallerus*, (*g*) Quodcumque Elementorum, sive sal fuerit, sive aqua deprehenditur in aliquo liquido humano, id haberi debet pro elemento sanguinis; siquidem in sanguine extant liquida omnia humana, prostant in sanguine nostro rubro, qualis fluit per vasa corporis humani sal, aqua, &c.

Quartò, Quod si auctoritatem *Friderici Hofmanni* urgeant, adhuc dicentis, nusquam acidum in sanguine reperiri, (*h*) profectò eodem responso occurremus. Intelligendus namque est, & quicumque Acidum in sanguine esse negant, eo sensu accipien-

(a) *Ibid.* [b] *Ibid.* [c] *tom.* 1. *lib.* 1. *section.* 2. *cap.* 7. §. 5. [d] *Dissert. de Salibus*. [e] *Haller ibid.* §. 22. (f) *Journal de Savan ann.* 1755. (g) *Ibid.* (h) *Ibid.*

cipiendi sunt, ut vel de sanguine, naturali principiorum consortio instructo, aut de Acido elementari integro locuti esse videantur: quemadmodum enim purus putusque aer sanguini nunquam innidulatur absque machinæ læsione, sed in minima elementa mutatus, ita siquæ salina principia, sive acida sanguini inhæreant, adeo inertia dantur, adeo blanda sint, & sedata, oportet, ut non appareant; concinit idem laudatus *Boerhavius*, qui, (*a*) Sanguinem, ait, aqua orbum principia salina non ostendere; hæc ipsa tunc non agere, nec mutari, sed intricata, sopita, inertia per annos latitare.

Quintò, Quod si ergo naturales nostri sanguinis moleculæ salinæ omni arte indestructibiles dici,& absque noxa, latere possint; Quid mirum, si dicamus, adventitias *Sublimati* nostri salinas acidasque particulas, quæ roris ad instar ex lactea via in sanguinem penetrant, cum eodem commisceri, & usque ad intima corporis vasa perduci, ut immutata earumdem figurâ, accedente specifica præstantia, quidquid veneni altè repostum est, aggrediantur, subigant, prorsusque extinguant. Sed quid plura? nonne compertum est, plures morbos ab acido spontaneo nasci, cujus præstantiam in sanguine, duce *Boerhavio*, ipsa Medica Praxis probat? Cur ergo quod Acidum morbosum præstare potest, non præstabit etiam Acidum quodque, medicata virtute imbutum?

LXXXV. Acrimoniam etiam a veneno venereo corpori inductam *Mercurius sublimatus corrosivus* facillimè, & radicitùs tollit; Nam, ut supra diximus,

U

(a) *In process.* 119. *Elemen. Chem. ibid.*

mus, natura veneni hujus non ſolùm nullam cum acidis communionem ſervat, verùm maximam partem *alkalina* eſt; unde acidis aculeis immixta, vim ſuam corroſivam totaliter amittere poteſt, ut docent Chimici omnes; (*a*) hac enim ratione inducti *laudatus Auctor*, aliique celeberrimi in Arte viri, *ſalem tartari* commendarunt, adversùs Sublimati fortè ingeſti noxas. Hinc intelligitur, quare *Draco venenatus* in extirpando viru venereo majori titulo, quàm Mercurius crudus, ſpecificum remedium audiat. Nam peculiari indole acidis ſalibus, quibus fœtus eſt, *alkalinam ſeminii venerei*, & ſummé corroſivam naturam amplexibus tenet, & quaſi coercet; quemadmodum mite ferrum in crocum natura diverſum mutatur, & præſtantiſsimum aperiens evadit; ita *argenti vivi* minutiſsimæ atomi, ſalinis ſpiculis infixis horridæ concentratiſsimo acido divites, omnem, cui occurrunt, in corpore lentorem efficaciùs, quàm ipſemet crudus Mercurius, dividere aptæ natæ ſunt; itaut omnes illos producant effectus, qui a *Cuneorum mechanica* dependent, (*b*) & quos longé major *argenti vivi* copia vix produceret. Paucis dicam, præſtantiſsimi effectus, quibus pollet in eradicanda lue, Sublimatum corroſivum, ſalium acidorum connubio debentur. Qui tamen *ſales* ideo *acres* dicuntur, non quia linguæ ſenſum uſtionis imprimunt, ſed quia corpora ſunt denſa, rigida, in acumen deſinentia.

Neque verendum eſt, Mercurium jaculis acidis ita

(a) *Boerhavius Element. Chemie.* (b) *Guglielminus de Salibus cap.* IX.

ita horridum glandulas ſalivales ſubire, eaſque inflammare, & ſalivationem ciere, ut olim credidit *Fridericus Ortloob*; (*a*) Quippe licèt in Mercurio infinita propemodnm ſpicula acida hæreant, quod a pluribus obſervatum fuiſſe meminit *Aſtruccius*: (*b*) & licét, ut inferiùs conjiciemus, innocuus, ſalium in corpore genitorum corpuſculis jungi connubio Mercurius aliquando queat, inde tamen nec ſalivationem, & multò minús internas exulcerationes, reformidare liceat; tum quia ſæpiſsimé repetita experientia Sublimati noſtri in curanda lue venerea aliter demonſtravit; tum in primis quòd ſpiculis atomi mercuriales horridæ etſi ſupponātur, ingēti decocti copiæ innatantes, atque leni & placido ſpiritu frumenti retuſæ, atque mitigatæ, quæ inde forté timentur infortunia, nunquam producere poſſunt; ſed dividendi, & reſolvendi munere fungentes, & omnis inflammationis expertes, pertinaciſsimas concretiones venereas abſque ulla ſubſequente ſalivatione, penitus & tutò profligant.

Ex ſextuplici hujuſmodi fortè cauſa clariſsimè apparet, *Sublimatum noſtrum corroſivum*, ſi cum Mercurio crudo conferatur, huic in luis venereæ therrapeja palmam meritò præripere; ut Capite ſequenti clariùs patebit.

LXXXVI. Vidimus jam præ Mercurio crudo eminentiam in praxi morborum venereorum noſtri Sublimati; modò autem meminimus, in eadem therrapeja ſpiritum frumenti præferri ſpiritui vini alkolizati, illudque ex legibus Conſuetudinis, atque

(a) *Apud Aſtrucc. de Morb. vener. ſæculi* XVII. *lib.* XIII. *num.* 4. *p. m.* 430. (b) *Ibid.*

felici ſemper ſucceſſu deduximus. Supereſt, ut heic loci quacumque ratione demonſtremus, præſtabiliorem eſſe ſpiritum frumenti, quocum *Sublimatum* noſtrum admiſcemus, & tutiorem longè ſpiritu vini: mirum quippe eſt, Sublimatum hoc æquabiliter ita totum ferè ſolvi in ſpiritu frumenti, ſimulque acquirere vires medicatas adeo nobiles, quę ante ſolutionem in eodem Sublimato prorſus erant veneficæ.

Quamobrem inquirendum eſt, qua ratione diviſio Sublimati, ope ſpiritus frumẽti facta, non modò majores, ſed etiã ſecuriores producat effectus, quàm ejuſdem ſolutio in ſpiritu vini peracta. Ad ejus quidem rei intelligentiam præmittere juvat Axioma, univerſim receptum, quo conſtat, inſtrumenta, quibus ſuperari debet reſiſtentia, aliqua cohærere oportere in ſuis partibus per momentum majus momento ſuperandæ reſiſtentiæ. (*a*) Quoniam igitur, obſervante Thonyon, (*b*) Mercurius eò in minores ſecedit partes, quó plus acidorum cuneos ſibi affixos tenet; colligitur inde, acida quæcumque reſpectu Mercurii munere menſtrui fungi; Et quidem ſi de genere vegetabilium ſint; ita namque futurum eſt, ut facultas hujuſce menſtrui Sublimati intra corpus agens ſpiritu frumenti parati longé efficacior, & tutior cenſenda ſit, quàm virtus diſſolvens Sublimatum, quæ in ſpiritu vini inhæret.

Primó. Si namque advertas, ſpiritum vini oleoſo maximè exaltato ſulphureo principio ditari, non leve ſanè argumentum habebis, intimæ mercuria-

lium

(a) *Bellinus de motu Cordis lem. propoſition.* 5.
(b) *Diſſert. de Mercur. propoſ.* 2. *p. m.* 87.

lium acidorum combinationis cum hac parte oleosa vini. Sic enim in confectione Æthiopis mineralis videmus, mercurium sulphuri etiam crudo per solum attritum quàm arctissimè adunari, ut haud facilè dissolvatur: (*a*) planè ut alterutrum ex iis concludendum videatur, aut quodcumque inhærens acidum, metallicum, inhærens inquam in spiritu vini, pernicissimo motu extra corpus eliminari, quàm ut possit pacatè, & tutò pertingere usque ad sedem morbi venerei; aut si quidquam spiculorum acidorum Sublimato nostro affixum maneat, illud fixissimum, & ponderosissimum reddi, ut æquivaleat adusque corporis penetralia vehi. Quomodocumque autem rem fieri concipias, vis medicata Sublimati in spiritu vini soluti maxima in parte, peribit. E contra veró, dum in minima Sublimatus solutus in spiritu frumenti delitescit, oleosis quidem partibus vegetabilis occurrit, sed non adeo actuosis, ut citissimè eum extra corpus abripiant; unde certa semper copia acidi metallici remanet, unde vis ejus medicata in primis pendet, quæ est tam mitis, ut nec alvum ultra suscitet, nec vomitum, & salivationem vix ampliùs excitet.

Secundò. Menstruorum omnium illud proprium habetur, ut non modò solvendi corporis elementa a se invicem divellant, verùm etiam in aliquali distantia detineant. Verum quidem esse damus, spiritum vini sejungendis Sublimati particulis aptũ esse; verùm quia substantiam valde spirituosam, nimis agentem, & æthereo quodam motu donatam præsefert, fit, ut quas partes primo momento discer-

(a) *Boerhav. Elemen. Chemiæ tom. 2. process. 261.*

ſerpſit, ita diſcerptas conſervare omnes nequeat, neque adeo ut opus eſt, ad obſtructa venereo ſeminio loca pervadere; in quibus proinde ſi innidulari contigerit virus pertinax, & ſummæ cohæſionis, vix, ac ne vix quidem molleculæ noſtri Sublimati operari queant; utque in medio curſu proprio menſtruo orbatæ priùs ſe ſiſtant, quàm turmatim, ut opus eſt, ipſum morbum aggredi poſsint.

Unde eruitur, ut paucis dicam, præſtantia ſpiritus frumenti, quem in praxi Sublimati adhibere ſolemus; quam quidem efficaciam ex triplici fonte ferendam arbitrabimur: Nimirum ex ſpatio corporis, quod longiùs ſané percurrunt corpuſcula Sublimati in ſpiritu frumenti, quàm in ſpiritu vini ſoluta. Rursus, ex reſiſtentiis, quas coagula venerea efficiunt, & quibus longè plures occurrunt atomi Sublimati noſtri, ſicubi cum ſpiritu frumenti, quàm cum vini ſpiritu miſcetur. Tandem ex robore, & vi, quam ſingulæ illæ Sublimati molleculæ in ſpiritu frumenti abreptæ majorem in obſtacula venerea exercent, quam quę ab iiſdem in ſpiritu vini reconditis expectari meritò poſſet. Admonendum eſt, Spiritum vini híc loci nos illum poſtponere ſpiritui frumenti, qui ad alkalis naturam proximiùs accedit. Ubi enim de Reipublicæ emolumentis ex noſtra methodo in curationem luis venereæ derivandis ediſſeremus; equidem ſpiritum vini commendabimus, ut quominús impenſa curatio iſthæc commodè perfici poſsit. Verùm non intelligimus ſpiritum vini, ut ajunt, perfectè *alkalizatum*, ſed valde dilutum; aliter enim neque adeo tutò, neque adeo compendioſa via, imò longè majori impenſa adhiberetur.

Dixi

Dixi, ex ſe curam fore luis venereæ veraciorem, ſi quando per ſpiritum vini tentetur; quippe omnibus notiſsima huic ſpiritui ineſt facultas, qua lymphatica quæcumque fluida corporis animalis inter ſe cogendo immeabiles reddit; eo pacto a ſpiritu illo vini albumen ovorum in maſſam irreſolubilem, multo extricato ſero, converti videmus; Similiter in meis Ægrotis non rarò expertus ſum, ab aſſumpto (aliorum Medicorum conſilio) noſtro Sublimato in ſpiritu vini alkalizati liquato, atque dolens memini, ortas inde fuiſſe colicas affectiones: ſubſequente ejectione coagulati lactis per inferiora. Sentio itaque; malè Ægrotantibus ſuis conſulere Medicos, qui Sublimati in ſpiritu vini alkalizati ſolutionem præſcribere amant; periculum enim eſt, ne furtim ſpirituoſæ vini partes in ſanguinis maſſam irrepentes, & hujuſce parti lymphaticæ, & mucilaginoſæ fluorem omnem adimendo, Medentium ſcopo potiùs obſint, quàm proſint.

CAPUT SEXTUM

DOCTRINÆ PRÆCEDENTIS CLARIOREM

Expoſitionem continens, & in quo præterea Aſtruccii Mechaniſmus, De Mercurii Efficacia refutatur, & Objectionibus ab eodem propoſitis adversùs Præparatorum Mercurialium vim reſpondetur.

LXXXVII. NON quidem ignoro *Aſtruccium* in indaganda Mercurii extùs illiti efficacia, multum, ne dicam nimium, tribuiſſe, & ſpecificæ ejuſdem metalli gravitati, & ſphæricæ figuræ, & diviſibilitati; quarum trium proprietatum ex ratione compoſita omnes mirabiles effectus, qui ab hydrargiroſi in corpore producuntur, abſque ulla hæſitatione deduxit: Quamobrem illud mihi incumbere in præſentia intelligo, ut quæcumque ad eruendum adductum *Aſtruccii* Mechaniſmum, quæcumque ad demonſtrandam rationum inſufficientiam, quibus ſuam hypotheſim ſuperſtruxit, pertinent, ita diligenter expendam, enucleem, atque definiam, ut inde Sublimati methodo fidem, auctoritatemque ſiqua poſsim ratione conciliem.

LXXXVIII. Itaque *Aſtruccius*, quemadmodum ex Lemmatibus ſuis patet, (*a*) ſtatuit: Mercurii ſanguini interſperſi, & ab eadem cordis contra-

ctio-

(a) *de Morb. vener. tom.* 1. *cap,* x. *p. m.* 200.

ctione expulsi, velocitatem non modò majorem esse velocitate ipsius sanguinis sub eadem mole tranantis, & ponderi quatuordecies majori respondere, verùm etiam majorem fieri censet singulis instantibus velocitate gutturum sanguinis æqualium, & circumfusarum. Quam quidem sententiam, licèt proprietatibus veré mechanicis innixam, defendat ipse *Astruccius*, ab ipsa veritate mechanica longè multùmque aberrare, patebit attendenti ad sequentia.

LXXXIX. Toto cœlo differunt hæc duo: *Pressio*, & *Vis*; Nam *Pressio* agit in loco, & est potentia, quæ continuò in corpus agit, ad hoc ut e loco movendum pellat: Actio autem *Vis insitæ* est de loco in locum. Iterum *Pressio* determinata est in singulis momentis. *Intensitas* actionis *Vis insitæ* ab obstaculo pendet. Hinc est, quod actio integra *Pressionis* est in ratione composita intensitatis *Pressionis*, velocitatis puncti, cui applicatur, & temporis, per quod agit. E contra effectus *Pressionis* contraria presione non destructæ, est ut obstaculi translatio, seu quod idem est: effectus hujusce pressionis eò major futurus est, quò velocitas obstaculi cedentis major; atqui hujusmodi velocitas eò major erit, quò spatium percursum ab obstaculo, & divisum per tempus magis creverit.

XC. Eruitur inde, *Pressionem*, quam Mercurius ratione nativæ suæ *gravitatis* in partem exercet, non esse confundendam cum effectu hujusce *Pressionis*, cujus ope cordi expellenti auscultat, fluitque per vasa sanguinea, atque cuivis contractioni allabitur: Quippe prior presio est directè ut gravitas metalli, atque adeo ab ipsa gravitate ejus-

 dem

dem metalli abſorbetur, atque deſtruitur; Poſterior autem preſsio in actum deducta, eſt ipſemet exceſſus velocitatis ſupra reſiſtentiam corporis metallici. Sequitur ergo, reactionem *Mercurii*, qua contractioni cordis renititur, quæ juxta mentem *Aſtruccii* quatuordecies major ſupponitur reactione ſimilis guttulæ ſanguinis, totam deſtructum iri in primo contractionis momento; idcircò ſi hoc non obſtante fluet, tranabit per preſsionem, quæ major ſupponi debeat ad hoc, ut ſuccedat *translatio* particulæ mercurialis: atque hæc quidem *tranſlatio* non tanti facienda eſt, quanti ipſam facit *Aſtruccius*; ſiquidem, ut modò vidimus, Mercurius non fluit ratione ſuæ *gravitatis*, quæ potius dicenda eſt *vis inertię*, ſed tantúm differentiâ inter preſsionem cordis deſtructam a nativa *gravitate* Mercurii, & inter reſiduum *preſſionis* victricis.

XCI. Porrò hic effectus immediatus *preſſionis* parvi admodum momenti eſt in guttulis mercurialibus, quia eſt ipſum ſpatium a guttulis mercurialibus percurſum, & diviſum per maſſam. Ponamus itaque M. indicare pondus *hiſoperimetræ* ſanguinis guttulæ. Ponamus præterea ſpatium percurſum a mercuriali guttula S. percurſum autem a ſanguine s. erit effluxus, ſeu translatio Mercurii, ceteris æqualibus, ad translationem æqualis guttulæ ſanguineæ, ut $\frac{M.}{S.} :: \frac{m.}{s.}$ & e converſo $\frac{S.}{M.} :: \frac{s.}{m.}$ Clariùs eloquar: Hujuſmodi corporis affectio, qua certo tempore certum ſpatium a corpore moto percurritur, vocatur celeritas; quæ proinde ſpatio eſt proportionalis. (*a*) Sed & demonſtravit *Michelottus*, (*a*) quod

(*a*) *ex Sgraveſand tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6.

(a) quod si diversæ densitatis liquores, ceteris paribus, eadem causa impellente, per data orificia fluunt, eorum velocitates futuræ sint, in ratione composita, ex reciproca subduplicata densitatum; Hinc inquit ille: Si bilis & lympha, quorum dendensitates sunt 4. ad 1., eorum velocitates erunt inversè ut radix 1. ad rad. 4 = 1. ad 2. quibus ita præmissis, consequitur, binas guttulas, unam sanguinis, alteram Mercurii, impelli ab eadem cordis potentia = 40. Fac interim, densitatem Mercurii esse ad densitatem sanguinis ut 14. ad 1., juxta hodie vulgatam hypothesim; velocitas guttulæ mercurialis ad velocitatem guttulæ sanguineæ futura est inversè, seu reciprocé, ut radix 1. ad rad. 14., proindeque cúm massæ sint reciprocæ velocitatibus, & viceversa, tantò major erit velocitas guttulæ sanguineæ velocitate guttulæ similis mercurialis, quantò majus est pondus hujusce guttulæ mercurialis põdere, seu densitate guttulæ sanguineæ.

XCII. Profuit mihi singula ex Mechanicis petere, quàm ad confutandam *Astruccii* sententiam animum appuli. Unde clarissimè liquet, erraffe *Astruccium*, dum pondus metalli cum velocitate confundens, hanc directè gravitatem sequi censuerit; & quod inde sequitur, velocitatem Mercurii ab systole cordis ortam singulis instantibus increscere, probare conatus sit. Sic enim ait ille: (b) „ Habent ergo singulæ (scilicet Mercuriales „ guttulæ) eam motus quantitatem, quæ sit ad „ quantitatem motus guttarum sanguinis ejusdem

 molis,

(a) *de Secret. p. m.* 121. (b) *Tom.* 1. *cap.* XI. *lemma* 4.

„ molis in ratione directa ponderum respectivo-
„ rum, atque adeò (pergit ille) quatuor & decies
„ majorem quantitatem motus, quàm guttæ illæ
„ sanguinis molis ejusdem. „

XCIII. Quod si modò conferatur densitas *Sublimati nostri* spiritu frumenti soluti, & in largo ptisanæ potu diluti, cum densitate nativi Mercurii, quacumque demum via in sanguinem introierit; Quoniam Sublimatus ille vehiculi illius copiæ innatat, in minutias quasi indivisibiles redactus, videtur pondus atomi Sublimati propiùs accedere ad gravitatem specificam guttulæ aquæ ejusdem molis, atque hinc parum vel nihil differre a densitate ipsius sanguinis; Quandoquidem aquæ, & sanguinis densitates parùm inter se discriminantur. Hinc ergo futurum est, ut quam velocitatem contractus cordis musculus communicat guttulis sanguineis, eamdemque imprimat Sublimati nostri particulis. Patuit autem modò, velocitatem sanguinis ad velocitatem Mercurii crudi esse, in ratione inversa ponderum respectivorum; Itaque hanc eamdem rationem sequetur velocitas *Sublimato nostro* impertita, si comparetur cum velocitate Mercurii nativi. Idque tantò magis elucescit, quod, non renuente eodem *Astruccio*, pluries contingat, guttulas mercuriales non tantùm ad ostia vasculorum minimorum colligi, verùm etiam in majoribus sanguineis canalibus coire: (*a*) quod sanè receptæ opinioni de adaucta singulis momentis Mercurii velocitate per vasa corporis adversari videtur.

XCIV. Devolvimur jam, postquam effectus Mercurii

(a) *Conf. ibid. n.* 115. 202. & *cap.* XII. *n.* 4. *p.* 217.

curii primarios minimè a ſphærica figura, & maximo ejus pondere ſuccedere diximus; ad conſirandos effectus Mercurii nativi ſecundarios, quos in ſolvendis liquidis omnibus corporis conſiſtere, arbitratur idem laudatus Vir, eoſque unicè deducit a momento gravitatis maximo, quod mercuriales guttulæ in ſanguinem, in vaſa, in objectos obices poſſunt exercere. Sed errat quidem mea ſententiâ; nam

I. Moles concreta in genere tollitur, ſic dictante Summo *Boerhavio* (a) dilutione, attenuante fluido, advecto, permixto, moto: hujuſmodi autem proprietates Mercurio ſub nativa forma in corpus introducto adeo non conveniunt, ut potiùs ab ejuſdem indole longiſsimé diſtent: Nam „ guttulæ mercuriales, ita ſentiente ipſo *Aſtruccio*, liquoribus fere nullis, ſanguini verò omnium minimé miſcibiles ſunt; unde fit, ut Mercurius dici ſoleat *aqua non madefaciens*. (b)

II. Præterea; particulis flexibilibus anguloſiſque non adeo donatus eſt, ut maſſulas concretas continuò præterlabatur, cumque illis teratur, moveatur, miſceatur, donec reſolutio facta fuerit: ad quam promovendam opus eſſe videtur, ut corpus reſolvens, vel inſinuatione ſuæ molis inter partes cohærentes: vel ſtimulorum inſtar vim vaſorum augeat. E contra elementa *Sublimati noſtri*, quæ perfectè cum ſanguine miſcentur, & ejuſdem velocitatis eſſe ſupra vidimus, ad loca obſtructa faciliùs advehuntur, atque præ ſalibus concentratis, quibus imprægnantur, perfectam concreti reſolutionem moliuntur.

(a) *Aphoriſ.* 132. (b) *Idem ibid. poſtulat.* III.

III. Aut hujusmodi *concretio venerea* in grandioribus vasis, aut in minimis locum habet. Quod si in prioribus sedem fixerit, a Mercurio nativo superari non potest; sive quod concretum sanguineum majorem superficiem offerens, per sphæræ minimum contactum, per omnia puncta solvi nequeat; sive quod maximo, ut supponitur, virium momento majorem contractionem canalium ciendo crudus Mercurius densitatem obstaculi sanguinei majorem efficiat. In extremis autem canaliculorum angustiis, hærens quodcumque liquidum ab guttulis mercurialibus, aut non attingitur, aut ægrè, & minimo momento pervaditur. *Non attingitur*, si verum est, Mercurium ad ostiola minimorum horum canalium in guttas majoris diametri conglobari, ut ex ipso *Astruccio* pronunciavimus: Aut si constat, præ sua gravitate Mercurium potiùs *axim* canalis petere, & ad imam partem detrudi, quám ut possit per lateralia, & superiora initia canaliculorum lateralium immitti.

Hujusmodi ratiocinium ab ipso *Astruccio* desumpsimus, quo particulas mercuriales intró haustas præ earum immiscibilitate, & majori gravitate specifica excludit a laterali facie intestinorum, ubi hiant chilifera propter decursum, quem aliquó affectant. (*a*) Hinc est, quod aucto sanguinis impetu, aut attritu, per intermixtas Mercurii crudi molleculas, plures simul globuli percurrentes, secundùm vasis diametrum, & sese orificiis angustioribus offerentes, viam sibi præcludant; vel cùm effectus percurrentis sua gravitate Mercurii, massam ejusdem

tardè

(a) *Ibid.* §. XI. *num.* 1.

tardè circulantem ſequatur, canalium, ut diximus, diſtractio vehementior futura eſt; hinc calor intenſior exoritur; globuli rubri flexiliores facti in minimos globulos ſecedunt: in lateralia deviant, & inflammationis lóci ſimptomata inducunt. Docent ptyaliſmi imminentis, ſeu jam facti infortunia, ſub quo facies miré tumet, oculi rubent, cum non levi *phrenitidis* periculo.

XCVI. Quartò. Accedit, quòd cùm translatio *obicis venerei* directè ſequatur velocitatem, & promptitudinem reſolutionis factæ a quocumque reſolvente remedio, ex una parte; atque ex alia velocitas cujuſcumque corporis ſe habeat directé, ut ſpatium percurſum, & inversè ut tempus inſumptum; efficitur illud ſanè, quod eodem ſpatio dato, quo plus temporis requiritur ad peragendam ſolutionem concreti, eó tardior futura ſit reſolutio. Porrò ad hoc ut Mercurius lúis venereæ curationem, ſeminium venereum expurgando, efficiat, requiritur tempus idoneum, quod experientia docuit, ſunt verba *Aſtruccii* (*a*) diuturnius eſſe plerumque, quám quis prima fronte putaverit. Certè bimeſtre deſideratur tempus in *ſalivationis* methodo ad perfecté corrigendum ſanguinem, & virus altiùs repoſtum efficaciter profligandum; atque adeo cùm quotidie pateat, luem veneream inveteratam, etiam ope noſtræ methodi, intra quadraginta dies perfectiſsimè, & abſque ulla recidiva curari; non mirum eſt, ſi illitioni mercuriali, ceu minús facili, præferatur internus noſtri Sublimati uſus; & quod inde ſequitur, falſum eſſe, effectus illos

(a) *tom.* I. *lib.* IV. *cap.* IX. *num.* 2. *p.* 468.

illos Mercurii ſecundarios à *maxima metalli gravitate*, & à *ſphærica figura* derivandos eſſe.

XCVII. Plura in hanc rem ſcriberem, niſi faſtidium aliquod, benevole Lector, te caperet mei, dum ex principiis corporum mechanicis ſi non obſcuris, at certè non niſi maxima cautela corpori noſtro aptandis, medicam hanc tractationem molior: Verum id exigebat argumenti noſtri dignitas, & incomparabilis *Aſtruccii* auctoritas, ut nimirum dilutis mechanicorum præjudiciis, & prudenter ad vaſa noſtra traductis Phyſicæ veritatibus, methodi noſtræ præcellentiam demonſtrarem; atque adeò hoc quidquid attigi, non feci in viros omni ſcientia Medica claros invehendi causâ, ſed ut libertate Medica, quidquid candidè ſentiebam, in medium proferrem.

XCVIII. Inde reſtat, ut infamiam, quam ſuis objectionibus, Præparatis mercurialibus inurere conatus eſt *Aſtruccius*, qua poſsim reſponſione eluam. Ille ergo plura in medium protulit, oppoſuitque adverſus uſum mercurialium internum, quorum ſumma eò recidit, ut exiſtimet, I. Præparata mercurialia deglutita ventriculi tunicas pungere, atque adeo debilitare. II. Molleculas eorumdem pro ea doſi, qua aſſumuntur parcè in ſanguinem transfundi per venas lacteas, atque adeo parvam, debilemque vim in ſanguinem infectum exercere. III. Horum Præparatorum elementa ſanguini jam confuſa ſpiculis ſuis acidis altè adactis ægrè, tardè, parcè ad nativam Mercurii formam redire, atque adeo minùs efficaciter virus venereum debellare. IV. Eaſdem illas atomos, quamdiu pulveris formam pertinaciter retinent, definita, & immutata,

mutata gaudere tum mole, tum figura, neque adeo posse aut in minutias indefinité parvas resolvi, ut exilissima corporis vasa pervadant; aut in grandiores guttulas coire, ut majore momento in validiores obices in vasis amplioribus occurrentes arietent. V. Easdem particulas mercuriales spiculis horridas, dum in sanguine fluitant itu, redituque, tenuissima molliorum partium vasa pungendo, calorem, irritationem, phlogosim &c. inducere. VI. tandem. Mercuriales Præparatorum molleculas introsumptas, dum ore manant cum saliva, spiculis suis salinis ulcerosas partes pungere, atque adeo phtialismum laboriosum, drasticum, altiora & maligniora ulcera inferre. (*a*) Quibus singulis perspectis, facillimam, tutissimam, efficacissimam esse inter methodos Mercurii adhibendi, arbitratur *Altruccius*, quæ *illitione* perficitur. Quamobrem singula prædictarum objectionum capita singillatim quoque percurrere opere prætium duxi; atque summa, qua potero, brevitate respondere.

XCIX. Primò. Si quam forté interdum irritationem ventriculi, producant *Præparata mercurialia*, illud iisdem convenit aut majori salis acidi copia imprægnatis, aut sub pulveris forma introsumptis; Neutrum autem dici potest de nostro Sublimato, qui maxima liquidi diluentis quantitate involutus, stomachi, ubi recipitur, fibras pungere nequaquam potest. Hinc est, quod nunquam observaverim, stomacho malé habuisse, quicumque diutiùs etiam hujusmodi nostra tinctura usi sunt. Huc spectat, quod *Hallerius* scripsit, *aquam* scilicet *universale* *medi-*

(a) *Vide tom.* 1. *cap.* XII. *p. m.* 217.

medicamentum eſſe, quo etiam venena inertia redduntur; abſque eo quod ventriculum moleſtè afficiant; (*a*) & alibi expreſsiùs: „ Argenti vivi Su„ blimati, inquit, dragma una lethalis eſt, ea„ dem in vigintiquinque libris diluta innoxiè ad„ ſumitur; „ quemadmodum nos ſupra innuimus. Præterea illud idem *Aſtruccii* argumentum in ipſum retorqueri poſſet; ut qui (*b*) toto ſalivationis ſtadio ægrum admonendum eſſe jubet, ne ſalivam deglutiat, quæ *abrepta*, inquit, *in ventriculum moleſta tormina inferat*: Scio equidem, *Aſtruccium*, omneſque qui præjudiciis obcœcati ſunt, regerere poſſe: Salivam ideo ab infectorum lue venerea ſtomacho arceri, quia tabo coinquinata hoc ſecum in ſtomachum adducit, nauſeam & vomitum productura. Verùm ſi conſideremus, *Mercurium* ſalivationem præ ceteris omnibus ſecretionibus majorem inducere, cum totius oris affectione phlogodea; ſimulque deficientem ſalivationem a ceteris ſecretionibus largioribus interdum ſuppleri, ſicque curationem luis abſolvi; in quibus tamen omnibus caſibus nullo pacto interiora cola calent, rubent, dolent, quæ omnia irritationis effectus ſunt; ſanè videtur inde inferendum, ipſas guttulas mercuriales, cum ſaliva in ſtomachum irruentes, abſque ulla veneni admixtione pro ſuo nativo pondere, vel alia fortè nobis occulta qualitate ventriculum multifariàm lædere poſſe.

C. Secundò. Falſum eſſe, particulas Præparatorum mercurialium parciùs quàm par eſt Præparati

(a) *tom*: VI. §. 1141. *item* §. 1129. (b) *tom*. I. *lib*. 4. *cap*. 7. *num*. 10. *p*. 445.

rati nostri mercurialis in sanguinem venire; Quandoquidem reclamat ipsa experientia, qua compertum est, parcam quidem Sublimati dosim spiritu frumenti solutam, & juxta *VVan-svieten* præscripptum, introhaustam solam sufficere, venarum lactearum osculis pervadendis, atque adeo debitæ vi exerendæ in sanguinem: Quemadmodum ergo pleniorem hydrargirosim æquè, ac parciorem improbat ipse *Astruccius*; Ita modò debitam Sublimati dosim propinemus, sive parcior, sive copiosior sit respectu Mercurii crudi illiti, perinde esse autumamus; quippe ut solito parciorem, debiliorem fore, ita si eadem uberior fuerit, periculosiorem fore censemus.

Sed quid multa? liceat vel ex ipsius *Astruccii* testimonio aptum responsum eruere. Ille enim ultrò confitetur, pulverulentas *Præparatorum mercurialium* atomos, salino acido spoliatas, in nativam Mercurii formam reintegrari; (*a*) si ergo quidquid præstant hujusmodi guttulæ cujuslibet Præparati mercurialis, illud idem præstituræ sint nativa ponderositate qua pollent; quî fit, ut nihilosecius perfectè sanent mala venerea, quæ in dissitis etiam corporis locis latitare consueverunt; ad quæ curanda binas saltem Mercurii vivi uncias exposcit *Astruccius*. Utque multa paucis dicam: Quod ingens *Mercurii* dosis efficere solet aliquando, pauca grana Sublimati nostri, ipsa rerum magistra experientia testante, mirè perficiunt, atque adeo aut particulæ *Præparati nostri mercurialis* satis apta copia sanginem subeunt, aut illiti Mercurii effectus

(a) *Lemm.* III. *cap.* x.

in curanda lue venerea a magno pondere, & a figura ſphærica minimè dependent.

Tandem in mentem venit ipſius *Aſtruccii* obſervatio de illitione mercurialis unguenti per ſex menſes continuata; in qua unciæ circiter quinque ejuſdem unguenti abſumptæ ſunt, eo fine, ut ſaneſceret os maxillæ ſuperioris in Ægroto quodam carie affectum, quin ulla ſalivatio ſucceſsiſſe inde memoretur. (*a*) Sublimatus autem noſter ſimiles, imò & magis truculentas, & diuturnas *caries* in oſſiculis narium turbinatis feliciter abſtulit, atque ad debitam exfoliationem reduxit; & quod magis notatu dignum eſt, intra quadraginta novem dies. Unde ex hac *Aſtruccii* hiſtoria colligitur, particulas *Sublimati noſtri* neque debilem vim exercituras eſſe in virus venereum, quod in ſanguine inhæſerit, neque adeo ex hoc capite methodum noſtram illitionum methodo merito poſtponendam eſſe.

CI. Tertiò. Falsò ſupponi, guttulas *Sublimati* [qui tantum in quæſtione verſatur] ſpicula illa acida diutiſsimè retinere, etiam poſtquam ſanguini commixta ſupponantur; Quandoquidem non temerè ſuſpicamur quidquid anguloſi, quidquid cuſpiditati eminet in molleculis hujuſce Sublimati jam per vim liquidi diluentis &c. ſolutum eſſe, inque eam figuram converſum, quæ interpoſitu ſuo concretionis venereæ moleculas a ſe invicem diſtrahat, incidat, atque attenuet; ſicque bonos tantùm effectus producat.

Neque ſupponendum eſt, *Mercurii* hujuſce *noſtri ſublimati* vim totam a globoſa figura, in quam

(a) *Idem lib.* II. *cap.* II. §. VII.

quam secedere ait *Astruccius*, proficisci: Præter enim quám quod *ad resolutionem Medicam* tutam, facilem, efficacem, salina omnia, & quę globosæ figuræ expertia sunt, ex *Boerhavio* præstantissimam opem ferant. (*a*) Accedit; ex ventriculo usque ad sanguinis oceanum spicula *nostri Sublimati* multifariàm agitari, obtundique eorumdem eminentias, absque ullo superstitis acrimoniæ sensu. Quid multa? nonne videmus inertes plantas, ut *Borraginem*, *Cioreum*, *Bellidem*, & similia, concreta sanguinea & graviora quidem, & in vitalibus quoque locis insidentia, ut in pulmonibus, hepate, pleura &c. solo sale acido, quo ditescunt, (*b*) mirè resolvere, atque tutiùs, effidaciùsque quàm metallorum omne pondus, & mobilitas, ad loca obstructa penetrare?

CII. Quartò. Nihil adversùs nostram methodum ex hoc *Astruccii* argumento inferri posse, colliges; ut in qua molleculæ sublimati, tam mole, tam figurâ, continuò, & jugi humorum vitalium transfluxu mutentur; *mole* quidem, quia summam divisionem patiuntur, ut (§. lxxxviii.) qua proinde contactus, & superficies multiplicantur; *Figura* quia ut modò exposuimus (§. xxxxi. usque ad xxxxiv.) angulosę illę lineæ vehiculo abreptæ, atque motæ, & attritæ deradantur ita, ut leviter solida stimulare, concreta resolvere possint, nocere autem numquam. Verum quidem est, quod non levem rationem pertimescendi haberemus, ne

(quod

(a) *De cognoscendis, & curandis morbis* §. 135.
(b) *Josephus Geoffroi man. medic. tom.* 2. *p.* 100. *tom.* 2. *p.* 173.

(quod in usu præparatorum mercurialium sub forma sicca sumptorum accidit,) si sublimatus noster *crudus*, ita dicam, sumeretur, pessima simptomata accerseret; sed illud ipsum, ut patet magna vehiculi copia debilitamus: Nec ab simili modo quo salia, ubi concreta introsumuntur lędere; Sicubi verò liquidó diluta hauriuntur, nunquam officere possunt. Sic ergo *Sublimati nostri* molleculæ, ita liquid. copia abductæ sufficienti, momento ubicumque æquali, ubicumque corporis virus venereum hæreat, hoc aggrediuntur, & quidem efficaciùs, quàm si sola gravitate specifica agerent.

Dum *Romæ* Obeliscum (liceat mihi in præsentia hujusmodi exemplo uti, quod mirè nostro argumento aptari video) rudentibus hinc inde tractis, supra basim suam erigere conabatur Machinator *Fontana*; substiterat vasta illa moles, & jam verebatur Artifex, ne ruptis, ponderis momento (æquabat enim Obeliscus libras 10060+8.) funibus illis, tandem corrueret machina; cùm voce ignoti alicujus elata admonitus, funes madefecit aspersa e vestigio aqua: mirum sanè, illicò moles illa ad lineam, perpendiculumque erecta est, non absque multitudinis admiratione. Quæ cúm ita sint, & sola mobilitate aqua ingentem illam funium superficiem momento valuit pervadere; Quantò magis liquidum tenuissimum de industria mixtum *Sublimato*, cum idonea velocitate, nullo respectu habito ad pondus, gravitatemque suam, fortiter urgeri debeat, & per ultimas vasculorum mollium angustias transire, atque adeo tutiùs, & efficaciùs venereis his morbis, quàm Mercurius illitus mederi?

CIII.

CIII. Quintò. Vana esse hujusmodi præjudicia, de vi præsertim *Sublimati nostri* venenosa, & falsi convincunt historiæ Ægrorum a nobis supra adductæ. At verò cúm multò graviora sint simptomata phlogodea, quæ *illitio mercurialis*, quàm quæ *tinctura nostra* inducere soleat, suspicerque autem, multùm interesse, si hujusce discriminis causa continens noscatur; puto, eam unicè pendere ab insita gravitate specifica Mercurii, *illitionis* methodo in sanguinem subeuntis; planè ut virus subigere nequeat, quin immenso quo pollet, respectu sanguinis, pondere, fluida quæcumque ob virus venereum corrupta stagnantia in putridum liquamen convertat; quin majori impetu facto, latercula tenerrimorum canaliculorum distendat, & violentam, ac penè convulsivam sistolem concitet; quin contractis ea ratione vasis, compressisque quamplurimis aliis lateralibus, & superincumbentibus non solùm viam sibi præcludat ad rimandas altiores corporis latebras, in quibus virus venereum hærere supponitur; verùm etiam vascula minima ingenti suo compressionis momento obliteret, horumque cavitates deleat. Hinc itaque liquet, vel ex ipsius *Astruccii* testimonio, multò plura, & longé sæviora, magisque insuperabilia esse infortunia propria, sive pleniori, sive parciori hydrargirosi, quám quæ methodum nostram sequi ullo modo possent.

CIV. Sed quid plura congeram, ut quod per se clarum, clarius reddam? nonne salivationis apparatum, ejusque gradus consideranti manifestissimé patet, quæcumque, & cujuscumque generis vascula, quibus consita est tota oris cavea, perenni illo itu, redituque Mercurii notabiliter pungi, irritari,

stimu-

ſtimulari, unde papulæ *heriſipelatodes*, unde vaſculorum dilaceratio, unde alia gravis inflammationis ſimptomata ortum ducunt? Quòd ſi hæc cum ſucceſſu noſtræ methodi conferantur, in qua nihil horum ſimptomatum pertimeſcendum eſt; profectò vulgarẽ methodum *illitionum*, cum noſtra nullo pacto comparandam eſſe conſequitur.

CV. Sextò. Aliter fieri, dum *Sublimati noſtri* maſſulæ cum illis ſalium fluunt, atque *Aſtruccius* exiſtimavit; Tum quia, ut pluries a nobis dictum eſt, *Sublimatus noſter* nullam ſalivationem ciet, atque adeo a ſpecifica Mercurii nativi ponderoſitate non ſolùm longé diſtat, verúm etiam ab omni venenorum acrium ſuſpicione; quàm longiſsimè abeſt; Quandoquidem venena omnia in primis, quæ manifeſta aciditate nocere poſſent, ſingula ſingulares effectus producunt; Sic *cuprum*, vomitum, ſic *argentum*, diarrheam colliquativam; Sic tandem crudus *Mercurius*, ſalivationem, ſubſequentibus ulceribus *phagedenicis oris*; At veró *Sublimati noſtri* innoxia per ſe efficacia nulli corporis parti adhęrere ita comperitur, ut hanc præ aliis varié lædat; ſed aquoſa, oleoſa, acidula, ingenti copiâ liquidi eluta; aſsiduò per omnes canaliculos uſque ad corporis extrema percurrit, nullibi inflammationem, nullibi eroſionem, dolores, febres acutiſſimas creat &c.

Tandem adeò non pertimeſcendum eſt, ne ſpicula Sublimati ſalina, ſalivæ mananti confuſa, oris phlogoſim, & altiora ulcera minitari poſsint, ut potiùs ſupra conſtitit [§. XXXXI.] iiſdem, ea quã diximus ratione, obtuſioribus redditis, vel alio quocumque modo immutatis, omnique acrimonia ſpolia-

ſpoliatis, ulcera, quæ ab hydrargiroſi oris partes depaſcuntur, quolibet, ut ita dicam, momento deterſa, mundata, citiſsimè, tutiſsimè, cicatrice obducantur. Tandem ſiquæ inſit Sublimato acrimonia, balſamicis olei frumenti partibus ita temperatur, ut blando ſtimulo, & ſine ullo ferè molimine, ſine ulla phlogoſi vaſculorum latera vellicet; & ſimul emollitus ita lentor ulceroſus, fruſtulatim ad inſtar ſquamularum, ab ulterioribus locis decidat; atque adeo hiſce viribus utriſque conſpirantibus, ſine ullis turbis ulcerum perfectam curationem abſolvat, efficacem, & ex ſe planè innocuam.

CVI. Quæ cùm ita ſint, videant æquiſsimi Lectores, ſi quæ ad rejicienda *Aſtruccii* argumenta, in medium protulimus, reſponſa tanti ſint, ut obſervatis non tam noſtris, quàm celeberrimorum Virorum *VVan-ſvieten de Haen* convictos aliquando perducant ad ſaniorem, de efficacitate *Sublimati noſtri* in curatione luis venereæ, opinionem; atque adeo, ſi propriæ tenuitatis Ipſe conſcius hanc, quam inculco, *luis venereæ* therrapejam non meliorem dicere auſim; at certé non omnem pejorem inde cenſendam eſſe, nemo diffitebitur, ut cujus ope ſeminium venereum longè jucundius, quinimò tutius, efficaciùſque quám per vulgatam *hydrargiroſim* ſubigi, expellique e corpore, longa experimentorum ſerie, jam eviciſſe, nobis abundè videamur.

CVII. Ad extremum haud diſsimulare poſſum, quæ adversùs noſtram methodum celeberrimi, & toties a nobis laudati *Archiatri Viennenſis* auctoritati innixa reperio, objicique poſſunt; quippe ille

postquam *Pitcarnium*, quem sequutus est *Astruccius*, sententiam *de efficacia Argenti vivi*, ab ejusdem gravitate deducenda, mira in dicendo lenitate, & mirabiliori modestia abundè explosit, demonstravitque, *gravitatem illam*, quæcumque in Mercurio ponatur, explicandis mirabilibus effectibus, qui corpori uncto adveniunt, *insufficientem* prorsùs haberi: Hisce, inquam, præfatis, videtur præcitatus ille Vir methodum nostram improbasse, quòd nimirum levitate Præcipitati cujusdam albi, & debili salium Argento vivo unitorum acrimonia in hoc pulvere ductus ille, censuerit, aliam esse *Sublimati nostri* efficaciam, quàm quæ a nobis hactenùs adducta est. (*a*) Verùm, præterquamquod in illo Præcipitato albo officinarum non omne absit sal acidum, quod altè adactum inter massulas Argenti vivi *concentratissimum* vocat idem Vir; mihi quidem haud difficile est ad judicandum in comparatione, faveatne nobis *Van-svieten*, an potiùs Therrapejæ nostræ adversetur; In primis, cùm priùs dixerit, Præparata mercurialia officinarum in parva quantitate omnes illos producere effectus, quos longè major Argenti vivi copia tantum facit; an ergo sola gravitas, & sphærica figura Argenti vivi sufficiat, ut explicentur mirabilia inde in corpore lue venerea sanato phenomena? Non videtur ex pluries dictis, demonstratisque.

An veró Argentum vivum concentratissimo acido unitum, ut in Sublimato contingit, adeo facilè, dum cum sanguine fluit, in nativam ipsi formam, pristinumque pondus redeat, perinde atque puta-

(a) *Tom.* I. §. 135. *p. m.* 194.

putavit *Astruccius*? vix illud concedi posse videtur, si consideretur, nonnisi ob summum ignem acido illo Mercurium spoliari; Neque corporum *figuræ*, quas veluti totidem prototypa, quibus a se invicem disjungi solent concreta omnia, ulla unquam arte deleri, aut immutari possunt; adeout æternæ, & immutabiles, ad instar elementorum corpora componentium meritò ab hodiernis Physicis habeantur. An potiùs *illitionis* effectus, si qui præstantissimi observentur ex ipso Mercurio nativo salibus in corpore genitis unito maximam partem dependeant? non improbabile; tum quia Argentum vivum, ut inquit clarissimus *Van-svieten*, sine ullo addito, solo tritu mechanico, sola ignis actione potest mutari in acerrimam indolem; tum quia ipsummet metallum, sicubi Scorbuticorum salia reperit, utut innoxium, cum iisdem verò unitum longè majores strages edit, quám quæ ab illa discrasia humorum *scorbutica* expectari meritò possent.

Huc pertinet Anonimi recentioris opinio, Mercurium, acidis spontaneis in corpore animali occurrens corrosivum adeo fieri putantis, ut salivationem inde uberrimam cieat. (*a*)

An tandem Argenti vivi efficacia, quomodocumque parati, a singulari ejusdem natura per experimenta sola cognoscenda proficiscatur? ita concludere videtur laudatus *Van-svieten* loco citato. Ultrò quippe fatendum est, quemadmodum corporum natura omni humana intelligentia major est, conceptum quoque superare nostrum perfectam & ab-

(a) *Raccolta di alcuni Opusculi sopra l'abuso del Mercurio. p. m.* 26.

ſolutam, quæ in remediis animadvertitur, agendi rationem. Verùm, etſi planum facere non potuimus, at ſaltem conati ſumus demonſtrare, figuram *Sublimati noſtri* eruendis, explicandiſque miris curationibus *luis venereæ* aptiorem eſſe, quám ſolum Argenti vivi pondus, atque ſphærica figura. Ulteriùs autem progredi, atque ſingulares, & intimas dotes ſpiculorum Sublimati rimari velle, audacius eſſet, atque adeo ſatis nobis erit, ſi modum, quo *Sublimatus noſter*, præ Mercurio illito, luem veneream ſanare comperitur, pro modulo noſtri ingenii explicaverimus.

CVIII. *Scrupulum* movere poſſet, atque nonnullam ſuſpicionem injicere illa aculeorum Sublimati *durities*, atque angulorum ſcabrities; ne ſcilicet temporis ſucceſſu *tincturæ noſtræ* particulæ, hujuſmodi aucta & ſtimulante figuratione, tum ſolida tacitè deradant, & exterant, tum vitioſam liquidis acrimoniam impertiantur: Unde plurima mala, tranſacto temporis ſpatio, & graviora longè incommoda infectis lue venerea hujuſce noſtri remedii adminiſtrationi poſſent ſuccedere; Favere huic timori videntur, quæ *Foreſtus* de *Venenis* ſcripta reliquit; Quædam ſcilicet venena reperiri, quæ ad determinatum tempus interficiunt. (*a*) At verò vanitas hujuſce formidinis ex multiplici ratione inferri poteſt; Nam primò *ſpicula ſalina* Sublimati noſtri adeo obtuſa, abſorpta, immutataque ex noſtro præſcripto intùs aſſumuntur, ut licèt tacita aliqua acrimonia pollere videantur, tutò tamen, & ſine ulla moleſtia univerſale luis venereæ deo-

(a) *Ope. lib.* XXX. *Scol. p. m.* 24.

deobſtruens evadant. Primò *obtunduntur*, & mites fiunt mollibus oleoſiſque partibus ſpiritus frumenti, (§. xxxxii.) & ita involvuntur, ut ab omni roſione immunia ſint. Secundò, *abſorbentur* fortè a firmiſsimis, atque intús latitantibus particulis ferreis terreiſque, quibus omnia vegetabilia abundant. Tertiò, *immutantur*, dum alkalinis primarum viarum occurrentia cum illis uniuntur in novam ſalis ſpeciem, qui *Neuter* vocari ſolet, & optimas (dum cum oleo ipſius frumenti ſpiritus miſcetur) (*a*) reſolvendi vires poſsidet.

CIX. Verùm quodcumque horum accidat, illud certè frequenti experientia edoctus aſſeverare poſſum, nunquam vidiſſe me, etiam longo temporis decurſu, poſt aſſumptum *Sublimatum*, ullum tetrificum ſimptoma, unde aliás innocui hujuſce pharmaci vel tantilla labes pateſcere poſſet; Imò vidi ſemper eliquatum eſſe omne ſeminium venereum, & luem ipſam veneream, quamvis antea pluribus illitionibus reſiſteret, penitùs extinctam fuiſſe; ut taceam; ex angulis corpuſculorum, ſeu ex figura aculeata, malè inferri acrimoniæ, eroſioniſve effectus in ſolidis noſtri corporis. Certè, ut adnotavit *Sauvagius* (*b*) ſi acrimoniæ moleſtia ex figura *Cuneiformi*, vel quoquo modo anguloſa penderet, ſalia, quæ acriora percipiuntur, acutioribus longè angulis donarentur; quod falſum in *ſale marino*, & *vitrioli* experiuntur Chimici. Proindeque nec ulla læſio ex *Sublimati* uſu, ſi hactenùs a nobis dicta

(a) *Gerard. VVan-ſviet. Comment. Aphor. tom.* 1. §. 135. *n.* 3. *p.* 193. (b) *Apud Manetti diſſer.* 1. §. 75. *p. m.* 160. 161.

cta perpendantur, videtur unquam emergere; & ſi quæ fortè, quibuſdam in corpore infortuniis ortis, ſeſe aliquando prodat, (quod numquam adhuc contingere vidi) ea non Sublimato, tamquam materiali cauſæ, referenda eſt, ſed vel *electioni* Sublimati ejuſdem, vel *præparationi*, vel *doſi*, vel *applicationi*, indebitis, & intempeſtivis certé debetur.

In ſumma, quidquid mali ab ea adminiſtrandi ratione reformidare poſſes, aut in Medentis incuriam, aut in Ægrotantes minùs obſequioſos jure meritò refundes. *Sublimatus* enim noſter innoxius ſponte ſua reperitur; modò primó probè diluatur; Secundò, in exiguiſsimas minutias redigatur; Ita enim futurum eſt, ut abraſis maſſulis, iiſque ſummè attenuatis, diviſis, dilutis, permanente illa levi & miti angulorum configuratione, multó magis concreta venerea diſſolvat; quippe ſalium natura eſt, in pauca puncta deferri, atque adeo ſi ab eodem impetu moventur, ac alia corpora obtuſa, reſolutionem concreti mirificè abſolvant. (*a*) Præterea, quia ſimul ſtimulant ſolida, abſque ullo ſubſequente effectu pravo, in curanda *venerea Cachexia* utramque indicationis paginam implent.

CAPUT

(a) *Vid. Gorter de inſenſib. perſpir. cap.* XVI. § XIV.

CAPUT SEPTIMUM.

DE RECTA, AC TUTISSIMA ADMINI-*ſtrandi in morbis venereis Mercurii ſublimati corroſivi internè Methodo innovata.*

CX. P&inceps Medicorum noſtri Sæculi *Hermannus Boerhave* (*a*) Mercurium ſublimatum ſyrupo *violarum*, vel *Rob Sambuci* miſceri jubet; alibi etiam in aqua diſſolvi imperat; Unde *Joannes Bona* illis, qui compactas fibras, & denſam ſanguinis craſim habent, Sublimatum ſola aqua diſſolvi vult, addita aliqua ſyrupi violacei quantitate, ad auſterum temperandum ſaporem, ut inquit.

CXI. Galli verò Medici omnes cum *ſpiritu vini* maritatum adhibendum ſuadent; ut mihi fideliter communicavit Chirurgus *Joſephus Farrugia* nuperrimé in Patriam, Pariſiis redux; credunt enim, *Sublimattm corroſivum* ſic a ſpiculis ſuis liberari, eodemque modo, quo a frumenti ſpiritu, corrigitur; hac tantùm ratione fulti, ſcilicet quia ſpiritus ex quocumque vegetabili fermentatione parati, *Boerhavio* dictante & rectificati nihil ferè differant inter ſe. (*b*)

CXII. *Auſtriaci* tandem, ac *Dani* eximii Chimici cum ſpiritu frumenti nuptum hocce remedium Ægrotis præbent; Quam methodum præferendam

aliis

(a) *de virib. medicam. par.* III. *cap.* XIII. *p. m.* 378. (b) *Element. Chem. tom.* II. *par.* I. *proc.* 43.

aliis reputamus ob rationes Capite III. allatas; Hanc enim feliciter exerceri observavimus in Xenodochiis *Vindobonensibus*, ac in privatis Urbis ædibus, per celeberrimum *Antonium* de *Haen*, aliosque Professores.

CXIII. Priusquam verò Medici id medicamenti Ægris ingerendum offerunt, venam hisce tundunt, & sanguinem ad uncias saltem decem extrahunt, pro temperamento Ægroti, eo fine, ut vasa sanguinea depleantur, & rarefactioni ipsius cruoris spatium fiat; ablata enim liquidorum parte, major conceditur superstiti in vasis libertas sese movendi; unde humorum dissolutio faciliùs successura est, uti docuit Illustrissimus *Gerardus Van-svieten* in suis Commentariis; Exinde præcaventur varia infortunia; Nam turgentes sanguine, discrimen est, ne canales lacerentur, amplius spatium minimè concessuri, & ideo hemorragiæ lethales, aliaque mala evenire possunt; Canales enim collaterales ea ratione comprimuntur, & ab axe proprio divelluntur; unde dolores capitis vehementes, *apoplexiæ*, aliaque plura prava simptomata exoriuntur. Dein præmisso leni clystere emolliente, ex aqua pura parúm calefacta, vel decocto hordei, tantùm lubricandis intestinis laxandisque, simulque a fæcibus crassis liberandis inserviente, ægrotos purgant pilulis sequenti de massa paratis:

℞. Massæ pilularum extracti catholici grana decem, Scammoneæ, & Resinæ jalappæ grana quatuor, Spiritus vini quantum satis; fiant pilulæ numero quinque.

CXIV. Hisce enim, quæ in primis viis latent, congesta eluuntur, imò etiam *bilis*, ceterique liquores

quores vitiosi, qui in sanguine redundant, hac via evacuantur; Hinc laudatissimus est eorum usus apud Medicos *Austriacos*; Unde amantissimus *Antonius* de *Haen* (*a*) de hoc agens sequentia habet: „ In „ morbis cronicis, & quovis temperamento non „ datur tutius purgans; quod omni decima die rei„ terari debet, maximè si aliquod signum ptialissmi appareat. „ (§. CXII.)

CXV. Post hæc usum *Sublimati corrosivi* aggrediuntur, cujus ita soluti dosis apud ipsos, ut supra innuimus, est uncia una spiritus frumenti, scilicet cochleare unum manè, alterum vesperi propropinant, in quibus dimidium grani Sublimati dissolutum fuerit: licèt communiter apud *Austriacos* spiritus frumenti majori quantitate Sublimati corrosivi imprægnatum adhibeatur; nam uni libræ *frumenti spiritus* grana octo Sublimati injiciunt, & tunc bis de die unum cochleare Ægris potandum præcipiunt; idque ratione habita morbi vehementiæ, variæ ætatis, diversi temperamenti, aut tolerantiæ Ægrotantis, & conferentiæ remedii. In nostra verò *Insula*, cùm temperamenta acria, & biliosa passim obvia sint, minorem dosim usurpare necesse est; [maximè enim regio nostra calida est] sin aliter, vomitus enormes, præsertim si debitam, quantitatem lactis, vel decocti non hauriunt; [confer Observationem XVII.] dolores ventris atroces, aliaque plura simptomata axcitari compertum est. Quin aliquando *salivatio* inde molesta prodiit; scilicet quando Ægroti illitiones mercuriales priùs passi fuerint, ut eruditè monet *Gerardus Van-svieteu.*

(a) *Ratio medendi par.* II. III. & IV.

ten. (*a*) Tandem accidit *ptialyſmus*, quando Infecti quantitatem lactis, vel decocti, neceſſariam non ſumunt, [licèt ille vir apertè teſtetur, nunquam ſe ptialyſmum obſervaſſe in ſuis ægrotis] & tunc ex Artis legibus ſolicitè ac prudenter mitigari debet, ſcilicet dietâ tenuiſsima, largo ptiſanę, hordei potu, uſu clysmatum aquæ tepidæ, vel lactis &c., aliiſque ſubſidiis, quæ in ſimilibus morbis a Magnis in Arte Viris commendantur; Hęc enim acrimoniam humorum compeſcunt, ſolidas partes relaxant, vaſorumque diametra augent, inſenſibilem tranſpirationem promovent, & impetum ſanguinis ad inferiora determinant.

CXVI. Si aliquod ex enarratis ſimptomatibus appareat, tunc illicò nulla intercepta morâ, ab uſu remedii deſiſtendum eſt; aliter enim graviora eadem redderentur; tum etiam quia ptialyſmus nullimodè ad luis venereæ curationem conferre videtur, uti demonſtravit Celeberrimus inter *Monſpelienſes* Medicus *Coyneau*. Meritò igitur amantiſſimus *Gerardus Van-ſvicten* magna quantitate decocti, dum ſpiritum hunc frumenti adhibet, ſtatim ægrotos alluit; Cujus decocti formula ſequens eſt:

℞. Radicis *Altheæ* uncias duas, bulliant in ſufficienti quantitate aquæ communis per horam, ſub finem addendo glicirizzæ unciam unam; colaturæ libras quatuor exhibe.

CXVII. Ægrotantes verò in noſtra Regione numquam per totam morbi curationem uſum hujus decocti prorsùs ferre potuerunt; a doloribus quippe nocturnis, quibus jugiter conflictabantur, inde ato-

(a) *Deſcrip. des malat. dans les armes p.* 198.

atoniam ventriculi nacti ſunt, qua fibræ nimis effœtæ redditæ, continendis, digerendiſque aſſumptis, impares factæ ſunt; Unde pravæ digeſtiones, diarrhææ, emaciationes ortum habuiſſe videntur ab hujus *decocti* uſu; & ideo ipſius loco decoctum *hordei* ſubſtituimus, quod maximè Ægris profeciſſe obſervavimus; hoc enim, licèt viſcoſum ſit, vires ventriculi non infirmat.

CXVIII. Alii verò cum lacte decoctum hordei immiſcere amant, (*a*) & hanc aliis Præparationibus utiliorem eſſe credunt. Nos verò multoties in noſtra Praxi contrarium experti ſumus; aciditas enim decocti hordei lac in ventriculo cogit; [maximè ſi decoctum recens non ſit, quod frequenter evenire aut incuriâ adſtantiũ, aut præ calore tempeſtatis poteſt,] unde tormina, diarrhæas, dyſſenteriaſque ipſas ſoboleſcere aliquando, experientia docet; Sicubi conſilium eſt, lac Ægris exhiberi, hoc præſtat fontanâ aqua purâ commixtum, ut ſupra diximus.

CXIX. Alii tandem decoctum *ligni Guajaci*, unà cum frumenti ſpiritu commendant, ut actio remedii versùs periphæriam corporis determinetur, & ſimul cum ſudore virus venereum e corpore eliminari poſsit. Hoc magnopere proficuum Ipſe obſervavi; ſcilicet ubi ægri *euſarca*, & valde pingui donantur temperie; nam macilentes, *Picrocoli* contrarium experiuntur, ut in §§. præcedentibus notavimus, ubi de hoc decocti uſu locuti ſumus.

CXX. Doſis decocti determinari non poteſt, quę variat pro temperamento, pro tempeſtate anni,

 aliiſ-

(a) *Gerard. Van-Svieten Malat. des armes p.* 195

aliisque circumstantiis; Nam qui temperamentum siccum habent, majore quantitate decocti indigent; repleti verò, minùs: verùm in quovis temperamento saltem bibant oportet ægroti libras quatuor de die decocti, aliter difficillimè curarentur: Constitit enim Observationibus celeberrimorum Virorum, quód eò faciliùs emergunt hoc viru tacti, quò uberiorem quantitatem decocti abliguerint; Decoctum enim non solùm vehiculum Sublimato subministrat, verùm etiam ad ultimos recessus canaliculorum secum transfert.

CXXI. Tempus quoque curationi necessarium variari debet, prout recens virus, aut vetustate in corpore occaluerit; Si recens enim venenum sit, intra tres septimanas tota curatio peragitur; si verò per plures annos seminium venereum inhæserit, & ossa jam occupaverit, tunc diuturnior etiam curatio futura est; quin continuari ejus usus debet, usquedum simptomata morbi penitùs evanuerint: Neque verendum est, ut ab ista longiùs protracta Sublimati methodo aliquis pravus oriatur effectus; Tuta siquidem semper est, licét per plures menses Sublimato illo utaris; (*a*) Neque tenellæ ætati a nostro remedio aliquod infortunium pertimescendum est, [ut Observatione XVIII. notavimus] quod adeo non solùm ætate provectis præscribimus, verùm etiam pueris, & puellis, licèt fibras debiles, laxas, & magis sensibiles habeant.

CXXII. Pro cujus remedii administratione non quæque anni tempestas convenit, (& hoc est adver-

(a) *Antonius de Haen Ratio medendi part.* II. III. & IV.

vertendũ) nisi tutum aliàs medicamentũ infamatum velis; Nam in hyeme sanguis maximè densus, ac inspissatus conspicitur, quàm in aliis tempestatibus anni; & ideo ceteri humores inde prodeuntes lentiores, vi remedii magis resistent; exinde a frigore perspiratio supprimi potest, vel saltem maximoperè imminui; unde impetus sanguinis ab habitu corporis ad interanea irruit, & in salivales glandulas irrumpit, ptialismumque creat; necnon alia simptomata accersit: E converso sub æstate, magnopere divisus præ calore est sanguis, & ideo ab influo remedio magis rarefactus vasa divellit, & lacerat; unde *hemophtises*, *apoplexiæ*, *febres &c.* unde ceteris paribus, Melitensibus, & sub cœlo nostro commorantibus, quòd ad calidum magis, quàm ad frigidum vergit, potiús in hyeme, si periculum sit in mora, quàm æstate præscribi potest; Verúm anni mutatio huic medicamento magis opportuna, Autumnalis, & Vernalis erit: maxima enim aeris serenitas tunc habetur, & nec calor exurit; Si verò necessitas urget; abjecta omni temporis ratione, protinùs ad usum remedii deveniendum est.

CXXIII. *Dieta* verò eorum, qui *nostro Sublimato* addicuntur, non alia magis opportuna censetur, quàm quæ ex jusculis hordei, avenæ, aliarumve plantarum refrigerantium componitur; Aromata verò, aliaque calida omnia nociva, hinc semper exulent: fructus horrei etiam, carnes sale conditæ, fumo induratæ, vel putrefactæ; vel pinguia, tamquam damnosa rejicienda sunt, cúm liquida incrassent, simulque acria reddant.

CXXIV. Secunda, vel saltem tertia die ab incepto Sublimato, si sudores, & urinæ maximoperè

erum-

erumpant, odoris ſpiritus frumenti participes obſervari ſolent; Unde colligitur, jam Sublimatum corroſivum exiliſsima vaſa humani corporis penetraſſe. Adnotavimus etiam, in ſummitate urinæ nonnihil humoris oleoſi, flavi coloris ſupereminentis cum muccoſo, & craſſo ſedimento; quod phenomenon menſe tranſacto evaneſcit; Tandem ſi ſudores, quos in noſtris ægrotis obſervare contigit, ſemper pingues, & ſuccidi ad finem curationis uſque deprehenſi ſunt; Per hanc enim *lotii* viam virus e corpore eliminare videtur *Mercurius noſter*; licèt experientiâ compertum ſit, uſque in præſentem diem *Mercurium extinctum*, & cum *axungia porcina corpori illitum*, ſive chimicè præparatum, ptialiſmum ſemper excitare vi quadam, ut ajunt, *electiva*, uti Oppium, Cantarides, aliaque plura hujus generis, quadam virtute ſpecifica in certos humores agere dicuntur: ſcilicet quia uberior quantitas inde lymphæ versús ſalivales glandulas determinatur; unde ſi hæc lympha aliorſum derivetur, & motus liberior & facilior versùs periphæriam corporis ſit, tunc nulla ſalivatio futura eſt; (*a*) & ideo *Mercurius noſter* tamquam ſudoriferum habendum eſt, quod per meatus cutis ſeminium venereum expellat. Omnia enim medicamenta in ſudorifera converti poſſe, docuit *Hermannus Boerhave*; (*b*) ſicuti ſi purgans adminiſtretur, & homo ſtatim ad ſudorem diſponatur, egregia ſudoris eruptio exoritur: unde licèt Sublimatus hic,, ſudoriferum naturâ non ſit, tamen tale redditur arte, tum ea ratio-

(a) *Joann. Aſtrucc. de Morb. ven. T.* 1. *p. m.* 205.
(b) *de virib. medicam. cap.* XI. *p. m.* 299.

ratione dicta, qua cutaneum iter, unà cum fomite venereo, affectat: tum quia aliis sudoriferis mixtum, ad hæc vasa potiùs vergit.

Quatuor enim classes horum remediorum numerantur ab *Hypocrate Batavo*. Prima continet ea, quæ vasa laxant. Secunda, *Dissolventia*, & *diluentia*. Tertia, *Diuretica*. Quarta, quæ liquores ad peripheriam corporis ire cogunt. Quoniam verò ex nostris Experimentis magna quantitas decocti hordei sorbetur, hæc humidum suppeditando, fibras emollit; unde cavitates canalium augentur, ut etiam alibi abundé diximus. Acida omnia vegetabilia fluida nostra fundere, Sales etiam marini partes esse maximè dissolventes, docent omnia Observata; unde mirum non est, si remedium nostrum multoties tamquam sudoriferum agat, licèt indolem *mercurialem* præseferat.

CXXV. Hactenús existimo, suscepti muneris partes ritè, & qua potui diligentia implesse me, quùm Sublimatum, therrapejâ indicata, in morbis venereis intùs administratum, ostendi, omni vacare culpa, quam præ concepto mentis errore, Recentiores ferè omnes in illum, ceu venenum, abundè conferre solent. Injuriâ ergo celeberrimus *Hofmannus* in hæc verba erumpit: „ Infamatus ille, „ *virulentus Mercurius sublimatus* quid aliud est, „ quám, salis spiritu concentrato, solutus Mer- „ curius? quo præsentissimé & homines, & ani- „ mantia enecare possumus. „ (*a*) Cúm indubitatæ sit veritatis, spicula salina substãtiæ mercuriali

nostri

(a) *Tom.* v. *de medicamen. in securis* §. XIV. *p. m.* 312.

nostri Sublimati hærere ita, ut ſpiritu frumenti oleoſo involuta, & decocto hordei ſummè diluta, non ſolùm deleteriam veneni virtutem deponant, verùm etiam remedii genus, ſeu alterius Mercurii dulcis ſpeciem conſtituant magnæ efficaciæ in chronicis, rebellibus quibuſdam paſsionibus, præſertim in *gallica lue*, ut ſupra oſtendere conati ſumus. Quamobrem perité ſcribit idem laudatus Auctor: (*a*) „ Mercurialia non ſecùs ac alia metallica ſem- „ per inſecuriora eſſe in pulvere: „ Injuriâ quoque Sublimatum noſtrum atro carbone notant, tamquam atrociſsimorum ſimptomatum feracem, ut vomitionis ſalivationis, ut in methodo *VViſemani*; (*b*) vel vomitus cruenti, & funeſtiſsimi *hipercatarſeos*, qualiæ ſimptomata ſucceſsiſſe vidit *VVepferus*. (*c*) Enim verò *VViſemanus* Mercurium ſublimatum corroſivum diſſolutum in aqua fontana tantúm ore exhibebat; (*d*) *VVepferus* verò in pulverem terebat, & ita propinabat. (*e*) At verò quantum eæ methodi a noſtra differant, ſpectate benevoli Lectores. Certè nec ullum pravæ indolis ſimptoma, a *noſtro Sublimato* profectum eſſe memini. Quem adeo eximie ab admixto ſpiritu frumenti mitigatum, ad inſtar *mercurii alterius dulcis*, ſed præſtantioris longè vulgari, ſuadeo in omnibus illis morbis in quibus juſſum *Mercurium dulcem* à *Riverio* videmus, (ne alios citem) utputa in *obſtructionibus*, (*f*) *hydrope*, (*g*) in *rheumatiſmo* (*h*) contra *vermes*, (*i*) & alia quamplurima mala a congeſtio-

(a) *Ibid.* §. XXII. (b) *Vid. Aſtrucc. tom.* II. *p. m.* 967. (c) *de Cicuta &c. cap.* 22. *Scol.* II. *p. m.* 384. (d) *Aſtrucc. ibid.* (e) *Hiſtor.* I. *p. m.* 373. (f) *p. m.* 329. (g) 386. (*h*) 420. (i) *p.* 311.

ſtione lymphæ, in exiliſsimis corporis canaliculis orta, quæ proinde nonniſi Præparatum noſtrum mercuriale attingere, pervadere, & in fluorem redigere, ſubſequente partis ſanitate, poteſt; Cujus adeo vis medicata eximia tamdiù valet, quamdiù blando acido decocti hordei, & ſpiritu frumenti concurrente, manet Sublimatus ſolutus; Sic enim ſpes eſt, ut per corporis abditiſsima vaſa, ſpecie ſalina conſtantiùs ſervata, pergat, agatque; ideſt aperiat, attenuet, roboret, ſtimulet, atque per vias renum, & in primis cutis, moderatè evacuet. Intelligimus inde modum, quo *Mercurius* hic non ſolùm mole, figura, pondere in nobis agat, verùm etiam admixtim ſpiritus frumenti, & ſalium, maximé acidorum, acquirat poteſtates novas, ſæpè mirificas. Intelligimus quoque, cum fructu dari poſſe *Laucophlogmaticis*, *Scorbuticis*, *Ictericis*, *Laxis* debilibus ab inertia. Intelligimus tandem, quare ſi dracma, ut inquit *Hermannus Boerhave*: (*a*) „ Mixturę [quæ granum unum Sublimati aquæ „ unciæ adhærens excìpit] ſyrupo violaceo mitifi„ cata potatur bis, terve in die, mira patrat in „ multis morbis incurabilibus. Sed jam ſentio, me eſſe longiús provectum, quàm propoſita dicendi ratio poſtulat. Inſtitueram enim de virtute diſſerendi, quá mirè pollet Sublimatus in curanda *Syfillide*, limites fateor tranſilii; tranſilienti ergo condona. Non is certé ſum, qui partium ſtudio abreptus, pertinaci animo Sublimatum hunc, velut univerſalem, adversùs inexpugna-

(a) *Element. Chem. tom.* II. *proc.* CXCVIII. *pag. mihi* 312.

biles morbos, *panaceam*, defendere velim, ſed nonnulla mala præterire, religio eſt, quæ collectis hinc inde aliquot Auctorum obſervatis, adjuvante rationis analogia, ope *Sublimati noſtri* aut ablata memorantur, aut ſpes eſt, ablatum iri.

Liquet etiam ex illis, quæ modò diximus, mirabilem uſum *Sublimati corroſivi* in omnibus morbis, qui a ſpiſsiore lympha originem trahunt; unde *Scrophulariis* maximè proficuum cenſemus: Notum enim eſt omnibus Medentibus levamen, quod redundat in ægrotis hoc morbo affectis a Trochiſcis de minio *Joannis* de *Vigo*; quibus ſanè amiciſsimus meus Chirurgus *Borelli* Scrophularios omnes tutiſsimè, & efficaciſsimé ſanavit. Hinc optimè *Lemerius trochiſcos* de minio, meliùs, *trochiſcos de Sublimato corroſivo* vocari jubet, (*a*) cùm maximam partem ingredientium conſtituat *Sublimatus*; quos proinde idem Vir miré extollit adversùs ulcera venerea, fiſtulas a venere impura, carnes fungoſas; ſed & incomparabile remedium cenſet in actis Academiæ Scientiarum, (*b*) pro extirpandis *ſtrumis*, ſeu tumoribus glandularum lymphaticarum ad *ſkirrodem* proximis. Familiaris eſt *Fallopio* (*c*) Sublimati cum Opio, & aqua Solani, vel roſacea præparatio, quam in ſimili curatione magnum ſibi honorem feciſſe, gloriatur.

CXXVI. Porrò *Scrofulæ* ſi cum lue venerea copulentur, teſte ipſo *Aſtruccio*, (*d*) *hydrargiroſi* non

(a) *Pharmecopie p. m.* 414. (b) *Anno* 1734. *p. m.* 364. *ut le falſification &c.* (c) *de Strumis tom.* III. *c.* XVIII. *p. m.* 90. (d) *tom.* I. *de morb. vener.* §. XII *lib.* IV. *cap.* X. *pag. m.* 510.

non cedunt, ſed remediis vincuntur, quæ craſsiori lymphæ nativam fluxilitatem, & ſtagnanti priſtinum motum reſtituant. Inter quæ neſcio quo jure ipſe *Aſtruccius* præferat *mercurialia* Præparata (*a*) ipſi illitioni mercuriali, quaſi auctor eſſe velit, Sublimati therrapejam curandarum Strumarum per hydragiroſim longè multumque vincere.

Id ipſum confirmare videtur illa Antimonii præparatio, *pulvis* de *Rotrou* dicta, cujus formulam apud *Aſtruccium* (*b*) videre eſt; & quæ ſummè diaphoretica cenſetur: Cùm ergo ſupra probaverimus, Sublimati vires, in cienda diaphoreſi ſpectatiſsimas eſſe; Patet vel hoc de nomine non temerè celebrari, tamquam remedium ſummè diluens, liquefaciens, attenuans, incidens, aperiens, quidquid in glandularum anfractibus ſub nomine *Scrofularum* hæret, ab repetita etiam *illitione mercuriali* nunquam ſuperandum, abripiendumque.

CXXVII. Proficuum etiam exiſtimamus *Scorbuticis*, ſcilicet in primo morbi gradu conſiſtentibus, ubi nimirum parva acrimonia adeſt in humoribus, eaque *alkalina*: In hac enim morbi periodo, *Boerhavio* docente, (*c*) magna humorum craſsities, & immeabilitas adeſt, quæ a noſtro remedio facilè ſuperari poteſt: licèt celeberrimus *Hofmannus* [*d*] ſequentibus verbis ejus uſum damnet in hoc morbo: „ *Mercurialis proſapiæ* medicamenta, utcumque „ etiam præparata, & adhibita in Scorbuto, tan-

[a] *Ibid. n.* 4. [b] *Ibid. pag.* 531. [c] *de cognoſcend. & curand. morb.* §. 1164. [d] *Medic. rational. ſiſtemat. tom.* IV, *par.* V. *pag. m.* 54.

„ tùm non ſemper eſſe maximo nocumento, lon-
„ gè verò certiùs, graviùſque nocere in vitiis den-
„ tium, & linguæ ſcorbuticis; „ huic incommodo obviam it magna quantitas decocti hordei, quæ cum Sublimato jugiter propinatur, quæque non ſolùm viſcida ſua aciditate dividit, verùm diluit, & humectat, acrimoniamque obtundit, & involvit.

CXXVIII. Itaque auſim dicere, therrapeuticam *Sublimati* methodum adversùs *Scorbutum*, ſi non omnium, quæ vulgò circumferuntur, eſſe tutiſsimam; at ſaltem veræ medendi huic malo indicationi pleniſsimè ſatisfacere. Quid enim? „ præci-
„ puus ſcopus in curatione *Scorbuti*, inquit aman-
„ tiſsimus *Van-ſvieten*, [*a*] eſt, utut illud acre
„ diluatur ex ſanguine, & lentor, ſi adſit, atte-
„ nuetur; „ Verùm in noſtra methodo, larga ſatis copiâ liquidi tenuis, & meabilis decocti hordei cum incidente Sublimato, utrumque obtinetur. Deinde in *Scorbuticis* ſalibus de corpore pellendis natura viam urinæ non temerè eligere videtur, ut ſanguis a ſcorbutico ſeminio depuretur; Verùm ex ſupradictis conſtitit, methodum *Sublimati* efficaciâ diuretica miré pollere; atque hinc ſanguinem *Scorbuticorum* ab illa muria poſſe liberare. Sed & *thermæ Carolinæ*, diluentes, & ſalino quod continent principio, concreta ſolventes, ſimulque urinam moventes, eòque in *Scorbuticis* maximé commendabiles [*b*] videntur, actionẽ, & præſtantiã *noſtri Sublimati*, aliunde in lue ſcorbutica, confirmare.

CXXIX. Magni *Boerhavii* auctoritas etiam accedit,

[a] *Tom.* III. §. 1164. [b] *Comment. Aphoriſ.* §. *ibid.*

dit, in quarta Scorbuti ſpecie *mercurialia* laudantis; [*a*] quo nomine certè eò magis argentum vivum excluſit, quò infelicem hujuſce ſucceſſum tam externè, quàm internè adhibiti clarioribus verbis recenſuit, quem modò citavimus, *Hofmannus*: Sicubi ergo Scorbutus cum *ſifillide* conjungitur, cùm hydrargiroſeos efficaciam non ſentiat, [*b*] omni ope tentanda eſt curatio, tum propriis *Scorbuto* remediis, tum ſi hæc fruſtranea fuerint, Sublimati therrapejâ, qua nihil efficacius; ſive ad ſolutionem concreti, quod in ſpecie prima *ſcorbuti* dominatur; ſive ad mitigationem acris, quod in ceteris ſpeciebus viget, [in primis ſi alkalino de genere fuerit, cui, acido ſuo latente, Sublimatus præ omnibus acidis a celeberrimo *Van-ſvieten* laudatis [*c*] miré domando prodeſt) cogitari, darique poteſt. Topicam dein ejus periclitationem in ulcerum ſcorbuticorum curatione Obſervationes Auctorum fide dignorum ſatis confirmant, atque probant. Nuper enim Doctor *Joſephus Demarco* ulcera talia, in ore præſertim, *Sublimati corroſivi* ope feliciter ad cicatricem perduxit; Cujus adeo Obſervationem non eſt quod heic referam, brevitati ſtudens.

CXXX. Salutarem etiam ejus uſum exiſtimamus in *gutta ſerena*: hæc enim pro cauſa ſpiſsitudinem lymphæ aliquando recognoſcit; unde *catharroſi*, *melancholici*, & alii, quorum lympha viſcida eſt, *amauroſi* facilè corripiuntur: Et ſicuti humores lenti,

[a] *de cognoſcend. & curand. morbis.* §. 1165. [b] *Aſtrucc. de morb. vener. tom.* II. *lib.* 16. *cap.* x. *p. m.* 509. [c] *Ibid.* §. 1163.

lenti, & pituitosi, aliis in locis nervos obstruere possunt, & *paralyses* causare; Ita etiam si in corticali cerebri substantia, vel in medulla, vel in nervo optico hæ succedunt, guttam serenam produci necesse est: cùm verò *Sublimatus noster* summam partium tenuitatem, ac meabilitatem habeat, minima vascula pervadere, obstructionesque reserare aptissimus erit, ut supra innuimus; Et ideo meritó Sublimatus hic in hoc morbo præscribi debet.

CXXXI. Ad præcavendam etiam *hydrophobiam*, utilissimum id generis remedium reputamus: constitit enim celeberrimorum Virorum Observatis, aliquando sanguinem eorum, qui *cane rabido* morsi fuerant, grummosum, & concretum inventum fuisse, præcipuè circa cor; & vasa majora; ac pulmones opplevisse; [*a*] & ideo cùm *Sublimatus noster* maximum dissolvens sit, ac antisepticum, ideo illum huic morbo convenire censemus. Partes enim salis marini maximè continet, quæ a putredine multa corpora arcent, & præcipuè in hoc vitio; Unde *Gerardus Van-svieten* [*b*) sal marinum in rabie canina inter remedia *profilactica* recenset. Anonymus etiam in Commentariis ad *Hermannum Boerhave* sequentia nobis reliquit: „ Omne sal „ compositum, omne acidum, vinum, acetum, „ spiritus vini, alcol perfecté putredinem tollunt; „ Nam si cadaver in aceto, vel vino, vel muria „ salis marini condias, tunc servari potest per „ multos annos. Porrò Veteres omnes, ac Recen„ tiores Medici illa medicamenta in hoc morbo amant

[a] *Gerardus Van-svieten Commend. Aphorism. tom.* VI. [b] §. 1143.

amant præſcribere, quæ copiam, ac impetum humorum versùs periphæriam corporis attrahunt; ſicque venenum eadem viâ extrudant, qua intùs corpus ſubierat. Et cùm remedium noſtrum hac etiam virtute donatum ſit, ut ſupra §. LXXXV. demonſtravimus. [quæ certè dos in Mercurio crudo inveniri non poteſt] igitur non injuriâ in hoc morbo tentari, [a] præſcribique poſſet.

CXXXII. Quocirca, cùm ad tutam *hydrophobiæ* prophilaxim, duæ indicationes requirantur: nimirum prima, ne virus quodcumque vulneri inhæſerit, ſanguinem ſubeat: Secunda, ut virus, ſiquod in ſanguinem penetraverit, ocyſsimè retundatur, corrigatur, eliminetur, nequando ferociens *hydrophobiam* inferat; intelliges inde primæ indicationi, vix *Sublimato noſtro* dari præſtantius; & adimplendæ alteri, non infimas inter *antalyſſa*, ſeu *rabiei* ſpécifica obtinere partes. Nam ut a priori exordiar: non alia certè ratione *cauſtica* loco demorſo applicant, ut *lapidem cauſticum*, *præcipitatum rubrum*, *fortem muriam*, quám ut larga excitata ſuppuratione, vulnere diu patente, nec citò occluſo, virus, ùt ab ingreſſu arcetur, ita ſiquid in vicinia plagæ commoratur, foras omne avocari poſſit. *Sublimatus hic noſter* mira præſtabit; Imprimis, ſi cryſtallinis, & duris ſuis angulis, decoctionis hordeaceæ vehiculo latis, agere in partes vivas permittatur: At veró, quoniam periculum eſt, ne miaſmata quædam in ſanguinem penetraverint; idcirco propoſitæ *rabiei* curationi remedia ſimul adjunguntur, quæ virus ſemel admiſſum alterent, vel evacuent.

[a] *Hypocr. de Venen. Gerard. Van-ſviet. tom.* IV.

cuent. Hinc, ne extra dicendi argumentum divagemus, lubet ad *mercurialia* sermonem convertere. Quæ quidem ultima a *Gerardo Van-ſvieten* [*a*] in *rabie* hac adeo laudentur, ut *Thurbit* minerali, poſt *Sauvages* experimenta, primas in curanda *hydrophobia* deferat. Neque heic neceſſaria eſt ſalivatio, ut opinatus eſt *Joannes Aſtruccius* [*b*] exinde deceptus, quòd virus hydrophobicum præ analogia ſalivæ inſideat; cùm hodie compertum ſit, „ Morbum hunc graviſsimum, [*c*] ſaltem ubi pri„ mum gradum non exceſſerit, Mercurio, ſive „ ſalivationem moveat, ſive non moveat, cedere. „

CXXXIII. Si dein conſideretur *thurbit minerale*, ſeu *præcipitatum flavum*, componi ex Mercurio, acidis vitriolicis fixioribus, & ſummè corroſivis onuſto, adeoque ſummé in praxi metuendum ex una, & ex altera parte paſsim interno uſui conſecrari, non in animalibus modò, ut *Sauvages* Experimentis conſtat, [*d*] verùm etiam a *Sidenhamo* adversús gonorhæam contumacem, mirè commendari, internè ſumptum ſub forma Boli; [*e*] Quantò confidentiùs, & audaciùs *Sublimatus noſter* naturâ dulcis, effectu mitis, ab omni ſalivationis metu tutus, inter diuretica præſtantiſsimus, inter diaphoretica palmarius, propinari, ſuaderi, non in brutis inquam, ſed in hominibus, debeat ab iis; qui *Celſum* ſecuti meliùs eſſe norunt, „ Anceps xepe-

[a) *Comment. in Aphor. Boerhav.* §. 1146. [b] *Diſſert. de hydrophob. cap. ult. n.* 4. [c] *Gerard. Van-ſviet. ibid. p. m.* 581. *edit. Batav.* [d] *Apud Van-ſviet. loc. cit.* [e] *Tom.* I. *p. m.* 209. *Epiſtol.* XI. *reſponſor.*

,, experiri remedium, quàm nullum;,, Si *anceps Præparatum nostrum* dici possit, quod profuisse semper, nocuisse numquam, tum domesticis, tum alienis Observatis abundè comprobavimus. Topicam tandem hujus Præparati mercurialis applicationem in hoc morbo multi experti sunt Auctores; & ideo *Palmarius* [*a*] in vulneribus a rabioso cane inflictis *Mercurium sublimatum* admoveri jussit.

CXXXIV. Cùm verò de *Peste* in bubone desinente differens *Bertini*, illius eximium prophilacticum ex Auctore *Screbero* (*b*) quærendum censeat in Mercurio dulci cum camphora mixto; neque *VVerlophium* abhorrere videam in antracum pestilentialium curatione ab eodem Mercurio dulci, quem proinde tamquam Pestis specificum mirificè commendat; (*c*) Profectò non temerè, neque inconsideraté meo quidem videri se se gereret Medicus, si prophilaxi, curationique Pestis, & similium febrium therrapejæ prudenter, cautéque solutionem *Sublimati nostri*, si non admodum efficacem, at certè innoxiam addiceret; Propterea quia hujusmodi tinctura, atque Sublimati vehiculum arte nostra paratum vim illam corruptioni adversam, & solidis, & fluidis corporis partibus inducit, vel in illis insitam virtutem beneficam servare valet, sæviente Peste, in quibus *prophilactici* remedii ratio consistit. (*d*) Quemadmodum enim acetum ab omni ævo contra pestiferam luem summis laudibus

 cumu-

(a) *de morb. contagiosis p. m.* 272. (b) *Vide tom.* II. *Astrucc. p. m.* 465. (c) *de Variolis*, *&* *antracibus* §. XVII. (d) *Geoffroy quæst. de Peste* *num.* I.

cumulatum fuit, (*a*) ita five præacido minerali, five vegetabili; quo fuperbit menftruum *Sublimati noftri*, non parùm ad peftilens arcendum contagium proficere videtur; acida quippe in univerfum fanguinis & bilis effervefcentiam compefcunt, acredinem alkalinam obtundunt, coagula fulphurea ex acribus falibus orta refolvunt. Tandem inter Peftis præfervatoria ipfum *Arfenicum* extùs admotum numeratur ab eodem Viro: (*b*) Quid mirum proinde, fi mitim noftri *Sublimati tincturam* iifdem auxiliis & nos verè accenfeamus? fed in ipfa Peftis curatione non infimum obtinere poffe locum, neque minimæ laudis futuram noftram methodum conjectare poffumus, five ob præfentiam acidorum, quæ cuique Pefti inimica effe, omnium fæculorum experientia confirmat; five ob intermixtum hordei decoctum, quod fæpiùs in die, liberaliùfque ab ægris potandum eft: Ita Peftem Dantifci graffantem in eodem loco memorat *Geoffroy* (*c*) non alia ratione fugatam, quàm repetitis in die cicatibus calidi decocti hordei, quod ægris in lecto compofitis propinabatur, fubfequente corporis madore.

Non ergo inepta indicatio curatoria futura eft, quæ a noftro *Sublimato* defumeretur, quocum tamquam infeparabilem comitem calens largum hordei decoctum admifeemus, & cujus proinde ope futurum eft, ut, humoribus dilutis, naturâ adjuta, grummefcentibus fuccis, & ad putredinem proclivibus fecretis, atque ad humectatoria convenientia citò propulfis, non leve commodum Pefte affecti perçipe-

(a) *Idem ib. n.* 3. (b) *Ibid. n.* 3. (c) *Ibid. n.* 4.

ciperent; Quid plura? ſimilitudinem non paucam inter luem veneream, & Peſtem intercedere ut credamus, nos impellit auctoritas cujuſdam *Alexandri Trajani Petronii*, de quo *Aſtruccius*, [*a*] qui non inexpertus ſenſit, Peſtis *ſeminarium* in morbum gallicum exhauriri, atque conſumi; itaut hoc morbo perſeverante, nihil fere huic Peſti gignendæ relinquatur. Ex his, quæ hactenùs allata ſunt, non videtur adeo malè tutum eſſe *Sublimatum noſtrum* adversùs peſtilens myaſma, modò tamen, ut ſæpiùs monuimus, ritè & prudenter adhibeatur.

CXXXV. Ad extirpandas excreſcentias fungoſas topicè applicatum noſtrum remedium maximè proficuum habetur. Sic *Antonius Meter Jan* (*b*) inſignem ejus prodidit virtutem, ubi nimirum de excreſcentia quadam corneæ loquens, eam viſu horrendam, & ad carcinoma jam tendentem, fuiſſe dicit; atque hanc non alia ratione extirpare ſeſe potuiſſe commemorat, quàm admoto *Sublimato corroſivo*, cum quatuor partibus probè exſiccati panis cruſtæ, & in pulverem redactæ commixto. Quem quidem pulviſculum calamo ſcriptorio exceptum quotidie in fungum illum corneæ inſufflabat, ſicque pergebat, donec eſcharæ quotidiano lapſu, & oculi inflammatio omnis ceſſaret, & *hiperſarcoſis* illa ad corneæ libellam reduceretur, non majorem baſim ſervans medietate parvi unguis.

CXXXVI. Ad ulcera tandem conſolidanda magnoperé laudatum habemus Sublimatum a multis; Unde *Anonymus* in ſuis Commentariis, multis in

(a) *tom.* II. *lib.* VI. *ſæculo* 16. (b) *Tret des malad. des l'oeil cap.* XIX. *p. m.* 456.

locis ejus usum deprædicat: (*a*) Sic *Forestus* (*b*) laudat, ad *heschara* faciliorem prolapsum in ulceribus sordidis, & mortua carne sepultis, *Arsenicum* sublimatum, tamquam efficacissimum ad separationem gangrenæ. Similem usum tribuit *Hofmannus* (*c*) suo Sublimato, quod cum vitriolo, & sale parat, eòque tutius existimat. Sic penicillo, collirio *Lanfranci*; ex Auripigmento majorem partem composito, imbuto, ulcera quæque oris cum fructu illiniuntur, & ea ratione efficacissimè coeunt.

Neque novum est, *Mercurium sublimatum* ulceribus venereis admoveri, licèt hanc methodum periculo numquam vacare, putet *Astruccius*. Sic apud *Luisinum* (*d*) ex *Torella* colligitur, nonnihil ad curandam luem veneream valere lotionem paratam ex decocto Argenti sublimati in aqua pura; qua lavari partes ulcerorosas jubet. Sic apud eumdem *Luisinum* (*e*) habetur formula Emplastri cujusdam, quod ex pelle *arietina* emplastro *triapharmaco*, diacilo majori, resina pinea liquatis ad ignem, dein frigefactis, atque Mercurio vivo, cinnabari, & quod notandum est, Sublimato mixtis, quod paratur, auctore *Andrea Matth*, qui ibidem testatur, per admotum illud emplastrum tibiis, & brachiis luem veneream perfecté sanari, absque ulla salivatione, & quem Scriptorem, ut obiter dicam, immensam celeberrimi *Astruccii* eruditionem fugisse, miror. Sic, ut animadvertit toties laudatus

Astruc-

(a) *com.* V. *p. m.* 95. *ibid. p. m.* 113. (b) *lib.* VII *Observat.* XIV. *p. m.* 122. (c) *ad Scroderum cap.* XV. *pag.* 269. (d) *Tom.* 1. *p. m.* 428. (e) *pag. m.* 232.

Astruccius, emplástra mercurialia adversùs morbos venereos inter Sinas, ad ulcera tantùm venerea, non absque successu laudatur. (*a*) Porró emplastra hujusmodi, ut patet ex formula quinta, (*b*) auripigmentum recipiunt, quod sané non levi delateria facultate præditum est; quantò ergo minús pertimescendum est a solutione *nostri Sublimati*, quæ summè per adjectum spiritum frumenti lenita, & emollita occurrit? Quinimò etiam si ulcera nimis sordida fuerint, & verè leprosa, non aliam inveniri posse methodum hisce detergendis aptiorem, quàm quæ ope Sublimati, quocumque modo partibus ægris applicati, instituitur. Fidem facit *Turnerus* in suo de morbis cutaneis tractatu, ex Anglico in Gallicum sermonem verso, qui de crustaceis lepræ ulceribus agens, (*c*) miré extollit Præcipitatum album cum unguento rosaceo de foris illitum; & infra puellæ cujusdam meminit, cujus cúm obstinatissima impetigine conflictata cutis, & squamosis dustulis visu hurrendis obducta, salivationi multoties tentatæ restitisset, non leve dein commodum, atque non parvam sanationis spem ostendisse memoratur, dum litu ex camphora & præcipitato albo confecto, atque corpori circumfuso pustulæ omnino evanescerent. (*d*) Cui æternæ therrapejæ assentiri vide ipsum *Pitcarnium*, qui inter remedia lepræ maximè accommodata aquam Cosmeticam, quam litargirum, ad uncias duas, *Mercurius sublimatus corrosivus* ad dracmam, Acetum ad uncias decem ingre-

(a) *Differt.* 1. §. IV. *num.* 2. (b) *Ibid. p.* 528. (c) *Tom.* 1. *sect.* 11. *pag.* 38. (d) *Idem ibid. a pag.* 47. *ad* 59.

ingredi recenſet; & quam egregiam eſſe arbitratur, modò ope plumæ ulcera illa leviter imbuantur. (*a*)

Sic novi quemdam, qui ad ulcera, internam ſinuum frontalium membranam depaſcentia, cicatrice obducenda, & ritè detergenda felici cum ſucceſſu, utebatur aqua viridi *Hartmanni*, quacum grana duodecim Sublimati ſoluta erant; hanc enim naribus hauriebat Æger ter in die, & poſt menſem fœtor, & omnia *Ozenæ* inde profectæ ſimptomata abigebantur. Sic *Fallopius* (*b*) Sublimatum & oleum amygdalarum dulcium ad contumacem guttam roſaceam ſuadet. Sic etiam plura Obſervata habentur apud *Nicolaum*, (*c*) quibus efficacia *Sublimati corroſivi* luce meridiana clarior pateſcere poſsit; Utique ſi externis partibus ulcere diſſepuloto quodam depaſtis applicetur prudenter. Sic in Obſervatione ſeptima, ſanationem affert ulceris, quod vulam, & totum naſum depaverat; Et ſequenti Obſervatione [octava] aliam ſanationem ulceris prodidit, quod naſi pinnam eroſerat. Quæ quidem duplices ſanationes *aquæ mercuriali*, ut vocant, *rubeæ*, ceſſere, cujus *aquæ rubeæ* proceſſum ipſemet *Nicolaus* deſcribit alibi, (*d*) nimirum ex calcinatione Sublimati cum aqua calcis vivæ, qua intincta ulcera exedentia ſemel aut bis in die tanguntur. Sic ... ſed quorſum ego provehar longiùs, & palantis ad inſtar a ſuſcepta *provincia* digrediar?

Hæc adnotaſſe ſufficiat. Illud verò nunquam ſatis inculcandum Medicæ Artis Cultoribus; velim molian-

(a) *de Ingreſſu albi Mercurii num.* 10. *p. m.* 176. (b) *Ibid. p. m.* 101. (c) *Cheoeau obſerv. medic. lib.* V. *p. m.* 478. [d] *p. m.* 514.

moliantur, curentque ex animo, tantum remedium ab omni invidorum ſuſpicione vindicare, & ſuo in curanda *lue venerea* ſplendori reſtituere. Scio, hæc uti ſcripta a me ſunt, non placitura iis, qui illitionibus mercurialibus mancipati, *Sublimatum*, ceu venenum atrociſsimum carpunt, & utentes, velut flagitioſos, & facinoroſos notant, ſine ullo veri, falſive reſpectu. Manum huic praxi admoveant; experiantur *Sublimatum noſtrum*; ita multò plura illos utiliora ad praxim hanc eruturos minimè diffido.

FINIS.

ERRATA			CORRIGE.
Pag. 9.	lin. 14.	turculenta	truculenta
38.	28.	camerarum	cameram
46.	9.	recreverat	accreverat
Ibid.	17.	omnibus	omnium
42.	5.	ſolent	ſolet
47.	2.	tum	ut
Ibid	12.	ergo	ægro
Ibid.	22.	viſus	viſum
72.	35.	vanum	varium

Quod ſi quid aliud Erratorum non correctum repereris, Lector Benevole, patienter ſuſtine, ac prudenter corrige.